DE

PINDARI USU SYNTACTICO

SCRIPSIT

OSKAR ERDMANN

THORUNENSIS.

HALIS,

TYPIS ORPHANOTROPHEI.

MDCCCLXVII.

PRÆFATIO.

Tria mihi Pindari usum syntacticum perlustranti quam maxime videbantur appetenda. Primum enim, quomodo universa Graecorum syntaxis antiquitus orta paulatimque exculta sit, facilius existimavi cognosci posse, si singulorum scriptorum in construendis et verbis et sententiis consuetudo accuratius perquireretur, et ita quidem, ut etiam quae vulgaria viderentur non negligerentur; quod in Pindaro opus esse mihi videbatur etiam post editum libellum, quem scripsit Godofredus: De elocutione Pindari. Susati. 1862; qui diligenter collegit nonnulla, quae ad ornatum rhetoricum et ad orationem figuratam pertinerent, syntacticum usum brevissime neque satis disposite tractavit.[1]) Deinde operam dedi, ut appareret, quas structuras proprias haberet Pindarus et quibus potissimum rebus in universa dictione ab aliis differret; qua de re difficillima quae in singulis rebus exponendis oblatae essent observationes, eas collegi in ultimo disputationis capite. Denique quae carminum Pindaricorum usu

1) Finita demum quaestione inspicere mihi licuit dissertationem quam scripsit E. Friese de casuum singulari apud Pindarum usu, Berolini 1866; quare quamvis et in singulis locis nonnullis explicandis et in toto quaestionis ordine ab eo dissentirem, paucis tantum locis ejus libelli mentionem facere potui.

comparato ad singulos locos explicandos forte proderentur — sive aliorum sententia firmanda sive novi aliquid afferendum esse videretur — composui in indice, quem in extremo libro additum vides.

In numerandis et carminibus et fragmentis secutus sum editionem Boeckhianam; interdum uncis inclusos adjeci numeros Mommseni ab ea diversos.

CONSPECTUS DISPUTATIONIS.

Index locorum paulo uberius tractatorum.

§. 1.

De generibus nominum.

1. Substantivorum naturale, quod dicitur, genus praevalet prae eo, quod grammatica forma postulat, nonnullis locis, inter quos lenissima est structura, quam vides p. 4, 134 ἦλθον Πελία μέγαρον· — τῶν δ' ἀκούσαις αὐτὸς ὑπαντίασεν — Τυροῦς γενεά, ubi praecedenti pronomini per appositionem additum est γενεά; et eodem modo secundum Boeckhii explicationem participio masculini generis appositum est ἔθνος n. 5, 43 μεταΐξαντα καὶ νῦν τεὸς μάτρως ἀγάλλει, κεῖνον ὁμόσπορον ἔθνος.[1])

Audentius est frgm. 157 φίλα τέκν' ἔπεφνεν, θάλλοντας ἥβᾳ, ubi participium post nomen positum est; et φόνος de femina dictum femininum sumsit genus p. 4, 250 Μήδειαν τὰν Πελίαο φόνον, quamvis similia exempla nonnulla apud alios inveniantur (Eurip. Iph. Aul. 794 τὴν γόνον. Arist. thesm. 541 τὴν φθόρον). — Lenius est, quod δόλον appositum est feminino pronominis p. 2, 39 ἅντε δόλον — θέσαν.

2. Praeterea annotanda videntur nonnulla substantiva, quibus femininum genus aut ubique aut nonnullis locis a Pindaro tribuitur contra aliorum scriptorum usum: Ἰσθμός et Ἀκράγας urbs ubique, ubi distingui possunt genera; κιών ubique; αἰών

1) T. Mommsenus ἔθνος refert ad Aeginetas, cf. libellum quem scripsit „Pindaros. Kiel 1845." pag. 47 et editionem novissimam; qua de re decernere non audeo.

tribus locis p. 4, 186 (ubi *τὸν αἰῶνα* metro repugnasset) p. 5, 6. n. 9, 44. (alias ubique masculinum); *αἰθήρ* bis: ol. 1, 6. ol. 13, 85. (tribus locis distingui potest masculinum genus: ol. 7, 6. 7. n. 8, 42. frgm. 250); *ἔλαφος θήλεια* ol. 3, 29. (ut saepe apud alios); *ἵπποι* n. 9, 52. i. 4, 5. ol. 8, 51. ol. 6, 14. p. 4, 17. — *ἵπος ἀνεμόεσσα* ol. 4, 7.

3. Neutrum genus nonnunquam ad personas referri videmus, ita tamen, ut sententia universe dicta omnes res amplecti videatur, quamvis de hominibus tantum vel animantibus certe agi e totius loci conexu appareat: i. 6, 17 *ἀμνάμονες βροτοί, ὅτι μὴ — ἐξίκηται.* p. 1, 13 *ὅσσα δὲ μὴ πεφίληκε Ζεύς, ἀτύζονται.*

4. Nonnunquam praecedente substantivo masculino vel feminino continuatur oratio pronomine relativo plurali neutrius generis, ita ut ab una re transire videatur poeta ad omnes ejusdem generis res, de quibus in universum aliquid praedicatur: p. 2, 74 *οὐδ' ἀπάταισι θυμὸν τέρπεται· οἷα ψιθύρων παλάμαις ἕπετ' αἰεὶ βροτῷ quales res sequuntur.* p. 6, 21 *ἄγεις ἐφημοσύναν, τά ποτε — φαντὶ — Φιλύρας υἱὸν παραινεῖν.* p. 1, 72 *ὕβριν ἰδὼν — οἷα πάθον.* p. 3, 17 *ἰαχὰν ὑμεναίων — οἷα — φιλέοισιν.*

E contrario nomini collectivo generis neutrius succedit pronomen relativum masculinum, eligens de multis unum hominem p. 3, 21: *ἔστι δὲ φῦλον — ματαιότατον, ὅστις αἰσχύνων ἐπιχώρια παπταίνει τὰ πόρσω.*

5. Adjectiva et participia neutrius generis substantivorum in modum saepissime usurpavit Pindarus, qua in re Homeri certe consuetudinem longe excedit. Adjectiva ea, quae objecti in modum cum verbis conjuncta in adverbiorum abierunt notionem, collegi in accusativi usu describendo § 4, 5; e ceteris notavi (secutus ordinem Kruegeri Synt. Att. 43, 4, 1—28)

a) locum significantia: ol. 13, 57 *ἐπ' ἀμφότερα μαχᾶν τάμνειν τέλος.* ol. 1, 113 *τὸ ἔσχατον.* p. 11, 52 *τὰ μέσσα.* p. 3, 22 *ἐπιχώρια.* ol. 11, 45 *ἐν καθαρῷ in loco arboribus non consito*;

b) tempus significantia: p. 8, 92 *ἐν ὀλίγῳ.* p. 3, 105 *ἐς μακρόν.* i. 5, 57 *ἐν βραχίστοις*;

c) res ipsas omnino, quibus tribuitur adjectivorum notio, significantia: p. 3, 52 *προςανέα πίνοντας.* p. 4, 221 *ἀντίτομα ὀδυνᾶν.* ol. 2, 85 *ἐς τὸ πάν in vulgus*; *παντί* p. 5, 23. — ol. 1, 31. n. 9, 33 *ἄπιστον.* p. 5, 33 *ὁπόσα δαίδαλα.* i. 5, 20 *τέθμιον σαφέστατον.* n. 7, 5 *ἐπ᾽ ἴσα ob easdem causas.* i. 7, 38 *τὸ μὲν ἐμόν meum consilium*;

participia: frgm. 49, 3 *τῶν ἐόντων.* p. 3, 20 *τῶν ἀπεόντων.* n. 3, 19 *ἔρδων ἐοικότα μορφᾷ*;

permulta denique adjectiva, quibus moralis quaedam inest notio, haud raro conjuncta etiam cum aliis adjectivis: p. 3, 81 *ἓν παρ᾽ ἐσλὸν πήματα σύνδυο.* ol. 1, 99 *τὸ αἰεὶ παράμερον ἐσλόν.* n. 9, 6 *τετελεσμένον ἐσλόν.* ol. 12, 12 *ἐσλὸν βαθύ.* n. 8, 22 *ἅπτεται ἐσλῶν, χειρόνεσσι οὐκ ἐρίζει.* i. 6, 47 *τὸ δὲ πὰρ δίκαν γλυκύ.* ol. 11, 91 *καλὰ ἔρξαις.* p. 3, 83 *τὰ καλά.* p. 8, 88 *καλόν τι νέον.* i. 6, 2. 7, 70 *καλῶν.* n. 8, 34 *τὸ μὲν λαμπρὸν — τῶν δ᾽ ἀφάντων.* frgm. 242 *τίμια.* p. 8, 93 *τὸ τερπνόν.* p. 10, 19 *τῶν ἐν Ἑλλάδι τερπνῶν.* ol. 14, 6 *τὰ τερπνὰ καὶ τὰ γλυκέα πάντα.* i. 6, 40 *τερπνὸν ἐπάμερον.* ol. 11, 93 *βραχύ τι τερπνόν.* ol. 1, 30 *ἅπαντα τὰ μείλιχα.* n. 7, 67 *βίαια πάντα.* frgm. 49, 2 *τὸ δὲ μὴ Διῒ φίλτερον.* ol. 2, 58 *τὰ δ᾽ ἐν τᾷδε Διὸς ἀρχᾷ ἀλιτρά.* i. 6, 43 *τὰ μακρά* (n. 4, 33);

d) conditionem sive statum aliquem significantia: n. 11, 42 *ἐν ἀμείβοντι vicissim.* n. 3, 75 *φρονεῖν τὸ παρκείμενον secundum praesentem rerum statum.* p. 4, 92 *τᾶν ἐν δυνατῷ φιλοτάτων.* n. 3, 58 *ἐν ἀρμένοισι πάντα θυμὸν αὔξων.* ol. 2, 33 *ἀτειρεῖ σὺν ἀγαθῷ.* p. 12, 30 *τὸ μόρσιμον οὐ παρφυκτόν.* ol. 2, 62 (56) *οἶδεν τὸ μέλλον.* ol. 12, 9 *τῶν μελλόντων φραδαί.* frgm. 173, 3 *τῷ παρεόντι ἐπαινήσαις.* ol. 13, 103 (99) *τὰ δ᾽ ἐσσόμενα.*

e) Interdum etiam apud Pindarum neutra adjectivorum significare videntur vim animi, qua efficitur status aliquis, ubi pro abstractis substantivis fere posita videntur: n. 7, 50 *θρασύ μοι τόδ᾽ εἰπεῖν*, ubi *θρασύ* dictum est eadem significatione qua *τόλμα.* i. 1, 63 (55) *πολλάκι καὶ τὸ σεσωπαμένον* (Mommsenus: *σεσιγαμένον*) *εὐθυμίαν μείζω φέρει*, ubi dicere poterat poeta: *ἡ σιγή.*

Similia sunt *τὸ συγγενές* p. 10, 12. n. 6, 8, quod totam indolem hominis amplectitur, et, quae maxime ei opposita sunt apud Pindarum, *τὰ διδακτά* n. 3, 41; ol. 2, 71 (69) *ἀπὸ ἀδίκων ἔχειν ψυχάν* = *ἀπὸ ἀδικίας*; et in eodem carmine ol. 2, 57 (52) *παραλύει δυςφρόνων*, quod unus certe scholiasta legisse mihi videtur, explicans: *τῶν δυςκόλων φροντίδων*, fortasse etiam alii; quare dubito num recte scripserit Mommsenus *ἀφροσυνᾶν*; Dindorfi certe mutatione: *δυςφρονᾶν* non opus esse videtur, quum satis multa exstent exempla adjectivorum similiter usurpatorum.

Neutrum adjectivi praedicati in modum haud raro conjungitur apud poetas cum substantivis; quod liberius factum videtur a Pindaro etiam per accusativum: i. 6, 23 *ἄγει δ' ἀρετὰν οὐκ αἴσχιον φυᾶς*.

§. 2.

De numerorum usu.

1. S i n g u l a r i s nominis collectivo sensu pro toto genere rerum positus paucis locis invenitur apud Pindarum, ut ol. 7, 19 *Ἀργείᾳ σὺν αἰχμᾷ* pro *αἰχμαῖς* vel potius *αἰχμήταις* (Eurip. *μυρία λόγχη*, alia). Sed quod Kruegerus affert exemplum (synt. dial. 44, 1, 1) p. 4, 256 *ἆμαρ ἢ νύκτες* non prorsus simile videtur Homerico illo *νύκτας τε καὶ ἦμαρ*, quum de certo quodam die, qui fato praestitutus erat, dicat Pindarus; neque cum Bernhardio (Syntax. pag. 59) i. 4, 45 (40) *πύργος* ita explicare velim, quum non intelligam, cur in praeclaro illo loco plures una turres statuendae sint.

2. Haud raro vero p l u r a l i s pro singulari positus est, ubi sententia divulgatur ab eo de quo tunc agitur homine ad omnes qui ejusdem conditionis esse possunt; quam structuram, optime convenientem dithyrambo, qui rebus gestis celebrandis quam maxime intentus accuratam subtilemque orationem non curat, vides frgm. dith. 3, 10 *γόνον ὑ π ά τ ω ν π α τ έ ρ ω ν μελπέμεν γ υ ν α ι κ ῶ ν τ ε Κ α δ μ ε ί ω ν ἔμολον*, ubi de uno Dionyso agitur.

i. 4, 39 (35) λέγε τίνες Κύκνον, τίνες Ἕκτορα πέφνον, καὶ Μέμνονα χαλκοάραν· τίς Τήλεφον· τοῖσιν Αἴγιναν προφέρει στόμα πάτραν, ubi unius Achillis facta memorantur. i. 7, 35 Δί τε μισγομέναν ἢ Διὸς παρ᾽ ἀδελφεοῖσιν, licet antea nullus memoratus sit Jovis frater nisi Neptunus.

ol. 8, 45 οὐκ ἄτερ παίδων σέθεν, ἀλλ᾽ ἅμα πρώτοις καὶ τετάρτοις, ubi praecipue de Telamone et Neoptolemo cogitasse Pindarum puto, quamvis illi Peleum, (frgm. 158) huic Epeum socium fuisse traditum sit. — Ita etiam p. 4, 50 ἀλλοδαπᾶν γυναικῶν ἐν λέχεσιν dictum est de sola Malache Euphemi uxore, et frgm. 158, 3 μετὰ ζωστῆρας Ἀμαζόνος ἦλθεν de Hippolytae zona (nisi ibi servandum est Ἀμαζόνας et ζωστῆρας adjectivi in modum cum eo nomine conjungendum, quod in masculino genere facillime fieri potest, ut ol. 1, 80 ἄνδρας μιαστῆρας. n. 1, 16 πολέμου μιαστῆρα λαόν. p. 3, 7 ἥρωα ἀλκτῆρα. p. 1, 95 τὸν ταύρῳ καντῆρα — Φάλαριν, in feminino audacius mihi videtur).

3. Saepe apud Pindarum variatur structura inter singularem et pluralem numerum, plerumque ita, ut a multis universe memoratis sequente pronomine τις sive ὅστις transitus fiat ad singulos quosque homines: ol. 1, 82 θανεῖν οἷσιν ἀνάγκα — τί κέ τις ἀνώνυμον γέρας — ἕψοι; ol. 3, 11 νίσσονται ἐπ᾽ ἀνθρώπους ἀοιδαί, ᾧ τινι ἀτρεκὴς Ἑλλανοδίκας — ἀμφὶ κόμαισι βάλῃ κόσμον ἐλαίας. cf. i. 2, 1. 4.

Etiam ἕκαστος additur verbi plurali numero, ceterum non mutata structura: n. 7, 54 φυᾷ δ᾽ ἕκαστος διαφέρομεν. (Sed p. 9, 98 cum Mommseno scribendum videtur ὡς ἕκασται; Boeckh.: ἑκάστῃ.)

Liberrime a singulari ad pluralem numerum transit Pindarus i. 1, 40 εἰ δ᾽ ἀρετᾷ κατάκειται — χρή νιν εὑρόντεσσιν ἀγάνορα κόμπον φέρειν.

Ubi plures appellantur, mox ad unum mox ad omnes convertitur oratio: p. 11, 62 Κάστορος βίαν σέ τε ἄναξ Πολύδευκες, υἱοὶ θεῶν; et simili modo in rebus gestis narrandis liberrime permutatur subjectum n. 7, 36 ὁ δὲ Σκύρου μὲν ἅμαρτε· πλαγχθέντες δὲ — ἵκοντο· Μολοσσίᾳ δ᾽ ἐμβασίλευεν. — p. 1, 48 παρέμεινεν, ἄνιχ᾽ εὑρίσκοντο.

4. Cum nominibus collectivis singularibus verbi pluralis numerus conjunctus est interdum apud Pindarum, accommodata ad sensum potissimum verborum structura: p. 2, 46 *ἐκ δ' ἐγένοντο στρατὸς θαυμαστὸς, ἀμφοτέροις ὁμοῖοι τοκεῦσιν.* n. 6, 32 *παλαίφατος γενεά· ἴδια ναυστολέοντες ἐπικώμια.*

Praedicatum singularis numeri ad subjectum plurale referendum est ol. 2, 10 *Σικελίας ἔσαν ὀφθαλμός*; cujus structurae secundum Mommseni scripturam duo praeterea accedunt exempla: p. 8, 95 *σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωποι* (Boeckh.: *ἄνθρωπος*); et ol. 10, 5 *ἀρχά* appositum ad nomen plurale *ὕμνοι* (B. *ἀρχαί*).

E contrario plurale praedicatum cum nomine singulari conjunctum est p. 4, 21 *γαῖαν διδόντι ξείνια*, ut interdum apud alios poetos *δῶρα*, *ἔργα*, similia.

5. Neutra adjectivorum saepe plurali numero sine verbo substantivo *ἐστίν* ita posita sunt, ut sequatur infinitivus subjecti vices tenens (vide aliorum exempla apud Kruegerum 44, 4, 2): n. 8, 4 *ἀγαπατὰ — ἐπικρατεῖν.* p. 2, 81 *ἀδύνατα — ἐκβαλεῖν.* ol. 1, 52. n. 4, 71 *ἄπορα.* p. 1, 34 *ἐοικότα.* p. 4, 247 *μακρά μοι, νεῖσθαι.* — Ita etiam in interrogatione p. 9, 36 *ὅσια — προςενεγκεῖν*;

Quibus addo similia exempla p. 2, 21 *Ἰξίονα φαντὶ ταῦτα λέγειν· τὸν εὐεργέταν — τίνεσθαι.* p. 3, 20 *ἤρατο τῶν ἀπεόντων· οἷα καὶ πολλοὶ πάθον*, ubi pronomina ad unam sententiam referenda videntur. (Cum ultimo loco confer exempla quae collegi §. 1, 4.)

Cognata videtur cum hoc usu notissima illa Graecorum consuetudo, e qua cum neutro plurali verbi singularis numerus conjungitur; quam nonnunquam Pindarus neglexit: p. 1, 13 *ὅσσα μὴ πεφίληκε Ζεὺς, ἀτύζονται — ἀΐοντα*, ubi personae neutro significantur. i. 7, 47 *νεαρὰν ἔδειξαν σοφῶν στόματα — ἀρετάν*, ubi *σοφῶν στόματα* dictum est simili significatione ac *σοφοί.* i. 4, 10 *δύο δέ τοι ζωᾶς ἄωτον μοῦνα ποιμαίνοντι —, εἴ τις εὖ πάσχων λόγον ἐσλὸν ἀκούῃ*, ubi res inter se diversae distinguuntur. Restant tres loci: ol. 2, 83. ol. 11, 85. p. 4, 121, ubi ejus structurae rationem afferre non possum.

6. Jam venimus ad usum illum antiquitus a grammaticis Pindaro tributum, e quo nomina etiam masculini femininive

generis pluralia conjunguntur cum singulari numero verbi. Quod nihil difficultatis habet, ubi ea nomina mixta sunt aut cum singularibus aut cum neutris, ut p. 10, 41 *νόσοι δ' οὔτε γῆρας κέκραται ἱερᾷ γενεᾷ*. Fortasse etiam frgm. 45, 15 (cum Schneidewino) *ἴων φόβαι ῥόδα τε* subjecta habenda sunt utriusque verbi *βάλλεται* et *μίγνυται*.

Sed negari non potest, nonnunquam a Pindaro etiam soli masculino aut feminino substantivo pluralis numeri antepositum esse verbum singulare, ubi poeta res de quibus agitur velut unam notionem mente complexus [1]) non ita multam habuit rationem sequentium vocabulorum grammaticae formae. Quod factum est in fragmento dithyrambico alacris sane vivique sermonis: frgm. 45, 16. 17 *ἀχεῖται τ' ὀμφαὶ μελέων σὺν αὐλοῖς, ἀχεῖται Σεμέλαν ἑλικάμπυκα χοροί*; et p. 10, 71 *ἐν δ' ἀγαθοῖσι κεῖται πατρώϊαι κεδναὶ πολίων κυβερνάσιες* in carmine ab adulescentulo poeta composito (si quidem fides habenda est scholiastae hanc scripturam defendenti, contra alteram: *κεῖνται*).

Tria denique ejus structurae exempla Pindarica a grammaticis allata sunt, admodum sane obscura, confer frgm. 265. 286 ed. Boeckh. — Sed ol. 8, 8 Boeckhius optime restituit *λιταί*; et p. 9, 32 *κεχείμανται* pluralis verbi forma habenda est.

Quam maxime vero tenendum videtur, talem structuram antecedente nomine nunquam inveniri apud Pindarum; nam ol. 10, 4 *μελιγάρυες ὕμνοι, ὑστέρων ἀρχὰ λόγων τέλλεται καὶ πιστὸν ὅρκιον μεγάλαις ἀρεταῖς* longe aliter, quam in praecedentibus exemplis, res se habet, quum verbi numerus accomodatus sit ad proximum nomen *ἀρχά*, subjecto per appositionem additum; fortasse etiam sequens subjectum *ὅρκιον*

---

1) Mommsenus Pindaros pag. 57: wenn der Plural vorangeht, so ist die Individualisierung des Begriffes im Einzelnen dadurch veranschaulicht; cum qua explicatione confer quae §. 1, 3. 4. notavi facillimi a singulis rebus ad generales sententias transitus exempla. — Eodem loco Mommsenus rectissime annotat, in omnibus iis locis non mutata sententia supponi posse etiam singularem numerum; similes praeterea linguarum semiticarum usus comparat.

poetae erat in mente. [1]) Quare facillime ea structura explicatur.

7. Dualis numerus paucis tantum locis legitur in Pindari carminibus; cum plurali mixtus est n. 10, 64 (*ἐξικέσθαν* — *ἐμήσαντο*) et ol. 9, 45, ubi etiam participii dualis cum verbi plurali conjunctus est: *Πύῤῥα Δευκαλίων τε Παρνασοῦ καταβάντε ἔθεντο* — *κτησάσθαν*. Quibus locis etiamsi pluralis pro duali usurpatus est, tamen nolim consentire cum Friederichsio (Pindarische Studien pag. 10), qui etiam dualem formam *γαρύετον* ol. 2, 87 sine ullo discrimine pro plurali positam esse contendit [2]), quum aptissima mihi videatur scholiastae explicatio, qui ad duos adversarios eo loco Pindarum allusisse annotavit.

§. 3.

De nominativi et vocativi usu.

1. Interdum nominativus cum vi antepositus est, ut designet res aut personas de quibus quam maxime agitur, neque vero sequentia ei constructioni adaptantur: ol. 8, 37 *γλαυκοὶ δὲ δράκοντες πύργον ἐσαλλόμενοι τρεῖς* — *οἱ δύο μὲν κάπετον* —; *εἷς δ' ἀνόρουσεν*. p. 1, 148 *μῆλα γάρ τοι ἐγὼ* — *ἐφίημι· ἀλλὰ καὶ σκᾶπτον μόναρχον καὶ θρόνος* — *τὰ μεν λῦσον ἄμμιν.*

Comparari potest n. 2, 17 *ὅσσα δ' ἀμφ' ἀέθλοις* — *Τιμοδημίδαι ἐξοχώτατοι πέλονται.*

Etiam alii casui libere mutata structura apponitur nominativus n. 6, 32 *Βασσίδαισιν ἅτ' οὐ σπανίζει· παλαίφατος*

---

1) Eadem est sententia Grummii in programmate Bielefeldensi: „De lectionibus Pindaricis nuper a Mommsenio prolatis.“ 1866. Praeterea de loco i. 4, 65 (51), ubi de eadem structura cogitat Mommsenus, vide §. 14, 4, d.

2) Etiam Homericis carminibus non concedit eum usum Ellendt, Ueber den Einfluss des Metrums auf Wortbildung und Wortverbindung bei Homer. Regim. 1861. pag. 9: Der Pluralis (wo das Metrum es erlaubt) steht für den Dualis, nicht aber der Dualis für den Pluralis. Die wenigen Stellen, welche dagegen sprechen, sind anders zu erklären oder ungeschickte Nachbildungen.

γενεά . . . . ; et post infinitivum, cui subjecti accusativus addendus erat, pergitur nominativo participii haud dubie ad id subjectum referendi: p. 9, 91 *Φαμὶ* (sc. *αὐτὸν*) — *εὐκλεΐξαι σιγαλὸν ἀμαχανίαν ἔργῳ φυγών.*

In allocutione nominativus positus est (Krueger: epiphonematischer Nominativ) p. 5, 46 (43) *μακάριος ὃς ἔχεις — σημεῖα*; et, ut saepe apud Homerum, *φίλος* pro vocativo usurpatum n. 3, 76.

2. Vocativo Pindarus suum ipsius genium alloquitur ol. 2, 98 (89). n. 3, 26. frgm. 88, 1. 236, 2.

Interjectionem *ὦ*, ubi ob metrum non requiratur, ante vocalem omitti a Pindaro notat Boeckhius not. p. 4, 250 (cf. ol. 1, 107. 6, 12. 77. 88. ol. 11, 96 (92). p. 10, 10). — Singularem ejus interjectionis collocationem notat Godofredus ol. 8, 1 *μᾶτερ ὦ χρυσοστεφάνων ἀέθλων.*

Vocativus gravitatis et claritatis causa positus est ante pronomen secundae personae p. 7, 10 *Ἄπολλον, οἱ τεὸν γε δόμον ἔτευξαν*, et v. 14 *ὦ Μεγάκλεες, ὑμαί.* — ol. 8, 15.

Saepe apud Pindarum structura incepta est vocativo, cujus postea non habita est ratio, praesertim ubi statim in initio carminum dii invocantur; cf. ol. 4, 1. 10. ol. 8, 1. 12. n. 8, 1. p. 1, 1. et alia exempla collecta a Godofredo pag. 20.

§. 4.

De accusativi usu.

Accusativo objectum cum verbis duplici modo conjungitur, ut significet aut rem eam sive personam, quae transitivi quod dicunt verbi actione afficitur, aut, quod a Graecis potissimum vario modo usurpatum est, ipsam actionem verbi sive id quod ea actione perficitur vel in ea continetur, velut *μάχεσθαι μάχην καλήν*, quod fieri potest in verbis et transitivis et intransitivis.

1. De primo genere objecti non ita multa sunt commemoranda apud Pindarum. Cum accusativo personae conjuncta

sunt nonnulla verba affectum quaedam animi significantia: *ταρβεῖν* frgm. 76; *φρίσσω* ol. 7, 38, ut saepe apud alios; *εὐμενέω* = benevolo animo excipio p. 4, 128, quod rarum est; *ἄχνυμαι* cum accusativo pronominis neutrius *τό* p. 7, 18 (apud Homerum plerumque cum genetivo conjunctum). — Praeterea notavi *σέθεν ὄπα μαιόμενοι* n. 3, 5. p. 11, 51. ol. 1, 46; et eadem appetendi significatione praedita *μετανίσσομαι πλοῦτον* p. 5, 9; et, quod singulare videtur, *πειρᾶσθαι γυναῖκα* p. 2, 34 (ut activum paucis locis apud alios: Ar. pax 747 al.; medium quoad ego scio nunquam);

μένω cum accusativo conjunctum est ol. 9, 96 (90). i. 6, 48 (cum acc. et inf. p. 3, 16); et, quod prorsus singulare est, *ἕπομαι* uno loco n. 10, 37; non necessaria est ea constructio ol. 6, 71. — Cf. praeterea §. 5, 8.

2. Alterum objecti genus (G. Curtius: inneres Object; Krueger: Accusativ des Inhalts) saepe apud Pindarum cum verbis conjungitur, interdum liberius fortasse quam apud alios. Ita legitur i. 7, 54 *μάχας ἐναριμβρότου ἔργον κορύσσοντα.* ol. 4, 22. 13, 29 *νικῶν δρόμον*, et similiter n. 5, 5 *νικᾶν στέφανον* (qui vincendo comparatur); n. 10, 26 *κρατεῖν στέφανον* (antea cum eodem verbo conjunctum est alio sensu objectum *Ἕλλανα στρατόν*). ol. 7, 82 *εὐτυχέων ἄλλαν ἐπ᾽ ἄλλᾳ (νίκαν).* — Similiter verbis eundi additum est objecti loco iter perfectum sive via qua quis profectus est: frgm. 84, 4 *ἐπίσκοτον ἀτραπὸν ἐσσυμένα.* i. 4, 60 (54) *δρόμον εὐθυπορῆσαι.* p. 8, 42 *πλαγᾶν δευτέραν ὁδὸν ἐλθεῖν.* ol. 6, 25 *ὁδὸν ἁγεμονεῦσαι.* ol. 7, 90 *ὕβριος ἐχθρὰν ὁδὸν εὐθυπορεῖ.* frgm. 201 *Δωρίαν ἔβαινε ὕμνων κέλευθον*; et etiam liberius translata significatione n. 7, 51 *εἰπεῖν κυρίαν ὁδὸν λόγων loqui rectam verborum viam* sicut: *ire rectam viam.*

Verbo *τάμνειν* singulari modo additus est accusativus teli, quo quis caedit n. 3, 33 *ὑπέραλλον αἰχμὰν τάμνων* (cf. nostrum: eine gute Klinge schlagen); ipsa caedendi sive pugnandi actio objecti in modum conjuncta est cum eo verbo ol. 13, 57: *ἐπ᾽ ἀμφότερα μαχᾶν τάμνειν τέλος*; cf. i. 3, 53: *ἀλκὰν, τὰν — ταμών.*

Bis legitur *πῦρ πνέων* ol. 7, 71. 13, 90 (87); *ἀλκὰν δρῶντα* ol. 9, 111 (119); *ὗσε χρυσόν* ol. 7, 50 (i. 6, 5 et

apud alios cum dativo instrumentali); i. 5, 74 *πίσω σφε Δίρκας ὕδωρ*; n. 10, 75 *θερμὰ τέγγων δάκρυα* (cum dat. ol. 4, 17 *οὐ ψεύδεϊ τέγξω λόγον*); liberius dicta videntur ol. 3, 20 *ὀφθαλμὸν ἀντέφλεξε μήνα* et in ejusdem carminis versu 23: *οὐ καλὰ δένδρεα θάλλεν ὁ χῶρος*, quod verbum alibi a Pindaro cum dativo instrumentali conjungitur.

Secundum hanc exemplorum copiam equidem etiam p. 1, 98 *οὐδέ νιν φόρμιγγες — κοινωνίαν μαλθακὰν — δέκονται* ita explico, ut *κοινωνίαν δέκονται* dictum sit aeque ac *δέξιν δέκονται* = *accipiunt (in) societatem*; quae structurae explicatio (de qua idem sensit Goram philolog. XIV, 241 sqq.) multo melius mihi placet, quam altera, e qua *κοινωνία* accipiendum esse dicitur pro *κοινωνόν*.

Nonnullis locis non nomen ipsum, sed pronomen relativum de eo pendens ita per accusativum cum verbo conjunctum est: i. 3, 53 *ἴστε μὰν Αἴαντος ἀλκὰν φοίνιον, τὰν ταμὼν — μομφὰν ἔχει*; et similiter n. 10, 45 *χαλκὸν μύριον ..., ὄντε Κλείτωρ ... πὰρ Διὸς θῆκε δρόμῳ σὺν ποδῶν χειρῶν τε νικᾶσαι σθένει* accusativum *ὄντε* pertinere puto non solum ad *θῆκε*, sed etiam ad infinitivum *νικᾶσαι*, ut dictum sit *χαλκὸν νικᾶν* aeque ac *στέφανον νικᾶν*, cf. exempla supra collecta. — ol. 6, 12 *αἶνος, τὸν — φθέγξατο.*

3. Cum eo, quod in antecedentibus exposui, objecti genere cognatus mihi videtur liberior ille accusativi usus notissimus, ut nomina per eum casum verbis et persaepe etiam adjectivis addita significationem eorum acrius determinent, nova aliqua memorata notione, ad quam pertinet actio verbi sive vis adjectivi.

Sic apud Pindarum saepissime accusativo ponuntur

a) corporis partes:

p. 3, 48 *μέλη τετρωμένοι.* n. 9, 26 *νῶτα τυπέντα.* n. 10, 44 *ἐπιεσσάμενοι νῶτον κρόκαις.* p. 4, 183 *πτεροῖσι νῶτα πεφρίκοντας.* i. 3, 87 *λευκωθεὶς κάρα μύρτοις.* ol. 6, 56 *βεβρεγμένος ἁβρὸν σῶμα.* i. 3, 41 *χρῶτα λάμπει.* i. 2, 8 *ἀργυρωθεῖσαι πρόςωπα*; et omisso verbo p. 6, 14 *φάει δὲ πρόςωπον ἐν καθαρῷ* (sc. *ὤν*). ol. 1, 68 *λάχναι νιν μέλαν γένειον ἔρεφον*, ubi talis accusativus explicandi gratia

additus est alteri, ut saepe. p. 2, 38 *εἶδος πρέπεν θυγατέρι Κρόνου.* n. 10, 15 *ὄψιν ἐειδόμενος*;

b) animus animique virtutes:

i. 1, 41 *εἰ δ' ἀρετᾷ κατάκειται πᾶσαν ὀργάν.* n. 6, 4 *τὶ προςφέρομεν ἢ μέγαν νόον ἢ φύσιν ἀθαιάτοις.* p. 1, 95 *νηλέα νόον.* ol. 1, 41 *δαμέντα φρένας ἱμέρῳ.* n. 4, 35 *ἴυγγι ἕλκομαι ἦτορ.* p. 10, 22 *ἀπήμων κέαρ.* n. 8, 24 *ἦτορ ἄλκιμον.* i. 3, 71 *ψυχὰν ἄκαμπτος.* n. 9, 26 *αἰσχυνθῆμεν θυμόν.* i. 7, 5 *ἀχνύμενος θυμόν.* i. 7, 25 *πινυτοὶ θυμόν.* n. 6, 73 (66) *τάχος δελφῖνι ἴσον*; paullo audentius talis accusativus etiam cum substantivo conjungitur: i. 3, 65 *μῆτιν δ' ἀλώπηξ*; et cum pronomine qualitatis: frgm. 4, 6 *οἷοι δ' ἀρετὰν δελφῖνες*;

c) vestimenta, similia:

n. 11, 16 *γᾶν ἐπιέσσεσθαι.* n. 6, 20 *ἔρνεα στεφανωσάμενος*; et singulariter verbo *στέγεσθαι* accusativus ejus rei additus est, contra quam se tegit aliquis: p. 4, 81 *ἀμφὶ δὲ παρδαλέᾳ στέγετο φρίσσοντας ὄμβρους.*

Memorabiles sunt nonnulli loci, ubi tales accusativi nominum prorsus fere in adverbiorum usum abierunt: n. 11, 24 *ἐμὰν δόξαν* = *meâ quidem sententia.* p. 2, 84 *λύκοιο δίκαν in morem lupi.* i. 5, 55 (58) *τὸν Ἀργεῖον τρόπον* = *Argivum in modum.* n. 3, 75 *φρονεῖν τὸ παρκείμενον* = *sapere secundum praesentem rerum statum*; et, quod maxime singulare videtur, p. 1, 81 *καιρὸν εἰ φθέγξαιο* = *si opportune verba feceris.* Eodem referenda videntur *τέλος* frgm. 77, 2. *τελευτάν* n. 11, 16 = *postremo.*[1])

Haud raro apud Pindarum adverbia sive similes locutiones praefixo articulo eodem modo velut substantiva accusativo casu ponuntur extra constructionem sententiae: p. 8, 51 *τὸ δ' οἴκοθεν ἀντία πράξει* = *quod ad domestica attinet, contrario se habebit,* ubi facillime ea verba conjungi poterant cum sententiae constructione: *τὰ δ' οἴκοθεν ἀντία πράξει.* n. 4, 69 *Γαδείρων τὸ πρὸς ζόφον οὐ περατόν ultra Gadiros occidentem versus non progrediendum?* cf. §. 5, 8. (Sed n. 8, 42 *τὰ μὲν ἀμφὶ πόνοις ὑπερώτατα* non verto cum Boeckhio: *et*

---

1) Nisi ibi *τελευτὰν ἁπάντων* appositum est subst. *γαῖαν.*

in laboribus quidem maxime, sed ὑπερώτατα adjectivum esse puto, conjungendum cum verbis: τὰ ἀμφὶ πόνοις: *quae ad labores* (sc. ludicros) *pertinent, summa sunt.*)

Eodem modo positum puto etiam neutrum adjectivi cum articulo conjunctum p. 10, 12 τὸ δὲ συγγενὲς ἐμβέβακεν ἴχνια πατρός = *quod ad ingenium attinet, sequitur vestigia patris*; quare non necessarium est cogitare de transitiva significatione perfecti ἐμβέβακεν, quod fecit Boeckhius.

4. Aeque ac actio ipsa verbi quasi objectum accusativo casu cum eo conjungitur, appositiones quoque, quae ad illam actionem pertinent, eodem casu toti sententiae interdum etiam a Pindaro adduntur, quod nonnunquam factnm est apud alios poetas, saepe apud Euripidem. Ita haud raro positum est ἄποινα: ol. 7, 16 αἰνέσω ἄνδρα πυγμᾶς ἄποινα. p. 2, 14. i. 3, 7. i. 7, 4.

Similiter i. 3, 61 κεῖνον ἅψαι πυρσὸν ὕμνων — παγκρατίου στεφάνωμ᾽ ἐπάξιον nomen στεφάνωμα appositum puto non ad πυρσόν, quod parum aptum videtur, sed ad totam sententiam.

Memorandum est denique χάριν, quae vox nonnullis locis integram substantivi notionem servavit, ut ol. 11, 78 ἐπωνυμίαν χάριν νίκας ἀγερώχου κελαδησόμεθα, ubi etiam cum adjectivo conjuncta est, et p. 11, 10 ὄφρα Θέμιν κελαδήσετε — Θήβαις χαριν ἀγῶνι τε Κίῤῥας. n. 7, 75 νικῶντί γε χάριν; aliis vero locis jam praepositionis fere in modum id vocabulum usurpatum videmus, ut p. 3, 95 Διὸς χάριν. p. 1, 76 Ἀθαναίων χάριν; qui usus, ab Homericis carminibus alienus, pervulgatus est postea in Attico sermone.

5. Neutrum genus adjectivorum saepissime a Pindaro cum verbis conjungitur, et ita quidem, ut modo servaverint ea adjectiva notionem objecti, modo plane in adverbiorum rationem abierint, quae fortasse non inutile erit enumerare.

p. 2, 20 δρακεῖσ᾽ ἀσφαλές. n. 7, 66 δέρκομαι λαμπρόν. n. 4, 39 φθονερὰ βλέπων. i. 6, 27 ἴστω σαφές. ol. 11, 93 κενεὰ πνεύσαις. n. 3, 41 ἄλλοτ᾽ ἄλλα πνέων. p. 11, 30 χαμηλὰ πνέων ἄφαντον βρέμει. n. 3, 40 μέγα βρίθει. ol. 13, 83 ἐνόπλια ἔπαιζεν. ol. 14, 17 κοῦφα βιβῶντα. n. 3, 82 ταπεινὰ νέμονται. p. 11, 51 δυνατὰ μαιόμενος. ol. 3, 17 πιστὰ

φρονέων. n. 4, 95 *μαλακὰ φρονέων.* ol. 2, 87 *ἄκραντα γαρύετον.* p. 8, 82 *κακὰ φρονέων.* ol. 9, 4 *ἄρτια μηδόμενος.* ol. 8, 73 *ἄρμενα πράξαις* (= *εὖ πράξαις*; cf. n. 3, 58 *ἐν ἀρμένοισι*). p. 2, 61 *κενεὰ παλαιμονεῖν.* p. 6, 19 *σχέθων νιν ἐπιδέξια χειρός.* ol. 13, 23 *εὐρὺ ἀνάσσων.* i. 2, 35 *μακρὰ δισκήσαις.* p. 1, 45 *μακρὰ ῥίψαις.* n. 10, 76 *ὄρθιον φώνασε.* ol. 9, 109 *ὄρθιον ὤρυσαι.* p. 9, 38 *χλαρὸν γελάσσαις.* ol. 1, 36 *σὲ δ' ἀντία προτέρων φθέγξομαι.* p. 8, 51 *ἀντία πράξει.* ol. 13, 53 *πατρὸς ἀντία.* n. 3, 46 *ἴσα ἀνέμοις.* ol. 7, 45 *ἐπιβαίνει ἀτέκμαρτα.* frgm. 239, 3 *ἴσα πλέομεν.* i. 7, 46 *ξύν' ἀλέγειν* (= *ἅμα*). *πολλά* ol. 1, 46 saepe. *τὰ πολλά* p. 2, 54. n. 2, 2. p. 9, 57 *πλεῖστα νικάσαντα.* ol. 1, 53. n. 3, 44 *θαμινά.* n. 7, 43 *περισσά.* p. 1, 37 *λοιπόν.* p. 5, 118. n. 7, 45 *τὸ λοιπόν.* ol. 1, 50 *δεύτατα postremo?* p. 4, 299 *πρόςφατον. nuper.* p. 1, 19 *πάνετες.* i. 3, 83 *συνεχές.* n. 11, 44 alibi *ἔμπαν.* p. 10, 33 *ἔμπεδον.* ol. 1, 114 *πόρσιον.* n. 9, 29 *ὡς πόρσιστα.* n. 4, 92 *ἐξοχώτατα.* (n. 8, 43 *ὑπερώτατα?*) n. 11, 26 *κάλλιον.* n. 3, 49 *τὸ πρῶτον.* n. 5, 25 *πρώτιστον.* i. 5, 7 *τρίτον.* p. 4, 79 *ἀμφότερον.*

Quin etiam adverbii in modum cum altero adjectivo conjunctum est neutrum adjectivi p. 2, 77 *ἀτενὲς ἴκελοι.*

Articulus cum talibus adjectivis conjunctus (qui saepe invenitur apud Theocritum, cf. id. 1, 40 *κάμνοντι τὸ καρτερόν.* 3, 3 *τὸ καλὸν πεφιλημένε*), apud Pindarum praeter *τὰ πολλά, τὸ λοιπόν, τὸ πρῶτον* bis tantum legitur: n. 4, 33 *τὰ μακρὰ ἐξεννέπειν.* i. 6, 43 *τὰ μακρὰ παπταίνειν*, ubi tamen id adjectivum objecti notionem servasse videtur.

Pronomina denique notavi: *τί* et *τὶ* haud raro: ol. 1, 82. p. 10, 4; ol. 7, 45. p. 1, 90. 7, 18. n. 6, 4. *οἷα* saepe. *τὰ μὲν* = partim p. 11, 46. n. 3, 43. alibi. *τὰ δὲ* ol. 13, 53. *τό* p. 5, 38. *τὸ καὶ* = *quare etiam* ol. 6, 56.

6. Duo diversorum generum objecta Pindarus non raro cum uno verbo conjungit, ut cum verbis *ἐρέφω* ol. 1, 67. *νοσφίζω* n. 6, 62. *ἐρημόω* p. 3, 98; et, quod audentius videtur, *παύω* n. 3, 39 *οὐδέ νιν ἔπαυσε φόβος ἀκμὰν φρενῶν.* *Πράττω* = *exigo debitum*, cum duplici accusativo conjunctum est ol. 3, 7: *στέφανοι πράσσοντί με τοῦτο — χρέος* (p. 9, 103 cum accusativo et infinitivo), et eadem significatione

πράττεσθαι ol. 11, 30. Denique inter verba rogandi *λίσσομαί σε παῖδα* i. 5, 45; *ἅπαντας εἴρετο παῖδα* ol. 6, 49; restant *διδάσκω* n. 3, 55 et *πίνω* sensu transitivo usurpatum in futuro: i. 5, 74 *πίσω σφε Δίρκας ὕδωρ*. — Etiam *καλέω* cum Friederichsio (Pind. Stud. p. 31) cum duplici objecto conjunctum puto p. 4, 194 *Ζῆνα καὶ ὠκυπόρους κυμάτων ῥιπὰς ἀνέμων ἐκάλει νύκτας τε καὶ πόντου κελεύθους ἅματα τ' εὔφρονα, καί φιλίαν νόστοιο μοῖραν*, ubi accusativi ante verbum *ἐκάλει* positi indicant numina, quae invocantur, accusativi post verbum positi eas res, quas ab iis petit Iason; et, quod singulare videtur, *ἀμείβομαι* p. 9, 38 *τὸν δὲ Κένταυρος — μῆτιν ἑὰν ἀπαμείβετο*.

7. Etiam praedicati accusativum Pindarus haud raro ad accusativum alterius nominis apponit. Quod fit secundum communem linguae Graecae usum post verba appellandi et enuntiandi, ut *καλεῖσθαι* i. 5, 53. *ἐνέπειν* frgm. 51. *ἐξενέπειν* ol. 8, 20. *λέγω* frgm. 87, epod. 1: *θαυμάζω, τί με λεξοῦντι*; quibus locis adnumeranda videntur exempla structurae audacioris p. 4, 6 *χρῆσεν οἰκιστῆρα Βάττον*, i. e. *vaticinando indicavit conditorem*; et n. 5, 9 *τάν ποτ' εὔανδρον θέσσαντο* (*welche sie erbaten als eine wohlbewohnte*).

Similiter usurpantur verba efficiendi: p. 2, 39 *ἄντε δόλον αὐτῷ θέσαν Διὸς παλάμαι*. i. 2, 46 *ἐπεὶ οὐκ ἐλινύσοντας αὐτοὺς* (sc. *ὕμνους*) *εἰργασάμην*. Etiam apud alia verba objecto alter accusativus ita apponitur, ut in eo sententiae vis quam maxime posita sit: n. 7, 27 *ὃν κράτιστον — πόρευσαν Ζεφύροιο πομπαί*, quae verba copiosius exponunt sententiam: *qui validissimus erat*. ol. 1, 59 *ἔχει βίον ἐμπεδόμοχθον — τέταρτον πόνον*. ol. 2, 76 *ὃν πατὴρ ἔχει — πάρεδρον*. p. 5, 15 *τὸ μὲν — ἔχει συγγενὴς ὀφθαλμὸς αἰδοιότατον γέρας* secundum Friederichsium (Pind. Stud. pag. 47). — Similia sunt i. 5, 48 *ὃν πάμπρωτον ἀέθλων κτεῖνα*. i. 7, 40. n. 2, 7.

Etiam per prolepsin ita adjectiva conjunguntur cum substantivis, quod haud recte Dissenus ad ol. 1, 68 rarissimum esse dixit apud Pindarum. Nam statim in eodem carmine tria exstant exempla: ol. 1, 68 *λάχναι νιν μέλαν γένειον ἔρεφον*; 82: *τί κέ τις ἀνώνυμον γῆρας — ἕψοι*; 88: *ἕλεν —*

παρθένον σύνευνον; quibus etiam clariora sunt alia exempla: n. 1, 43 *ὄρθιον ἄντεινεν κάρα*. ol. 13, 83 *τέλλει θεῶν δύναμις καὶ τὰν πὰρ᾽ ἐλπίδα κούφαν κτίσιν* = *ita ut facillima sit*; frgm. 247 *θεὸς — μέλαιναν καρδίαν ἐστυφέλιξεν*. n. 4, 4 *μαλθακὰ γυῖα τέγγει*.

8. Accusativi extensionem loci sive temporis indicantes pauci leguntur apud Pindarum, communi usui congruentes: n. 7, 38 *ὀλίγον χρόνον*. i. 4, 28 *μύριον χρόνον*. i. 3, 6 *πάντα χρόνον*. n. 1, 69 *τὸν ἅπαντα χρόνον*. p. 1, 57 *τὸν προςέρποντα χρόνον*. ol. 13, 26 *χρόνον ἅπαντα*. ol. 1, 115 *τοῦτον χρόνον* (*per vitae tempus*).

Praeterea tria tantum restant exempla: ol. 13, 76 (73) *νύκτα κοιτάξατο*. p. 4, 26 *δώδεκα ἁμέρας*. p. 4, 228 *ὀρόγυιαν σχίζε νῶτον γᾶς*.

9. Verbis movendi saepe per accusativum tanquam objectum additur et persona ad quam, et locus in quem dirigitur motus; qualia notavi apud Pindarum: *ἵκειν*, *ἐξικέσθαι*, *ἀφίξεσθαι*, *ἐλθεῖν* (*οἰχνεῖν* p. 5, 80?), *μολεῖν*, *βῆναι* (ol. 2, 95), *καταβῆναι*, *ἐγκαταβῆναι*, *νίσσεσθαι*, *μετανίσσεσθαι*, *προςέρπειν*, *καταδραμεῖν*, *ἐπιέναι*, *ἐπείγειν*; exempla enumerare longum videtur. Audacius vero esset p. 5, 71 *μοῖρά τις ἄγεν πολύθυτον ἔρανον*, quare scribo cum Mommseno: *ἄγ᾽ ἐν*.

§. 5.

De genetivi usu.

Genetivi Graeci usus solemnis is est, ut conjungat nomina substantiva cum nominibus [1]; quod vario modo,

---

1) Concedit hoc etiam is, qui omnes casus cum verbis primum conjunctos esse contendit, Ebinger, de genetivi apud Graecos poetas antiquissimos usu, Regim. 1862, quum dicat in fine quaestionis: „substantivi proprius est casus genetivus, quoniam substantivum statum immanentem, non actionem accidentem describit, atque genetivus rem significat, intra quam hic status immanens cogitatur.“ Sed hunc vulgatissimum genetivi usum non primitivum esse censet, sed ortum ex conjunctione cum verbis, ita ut prius dictum sit (vel antecedat saltem in cogitatione): *filius est*

factum est etiam in Pindari carminibus. Quare significat genetivus:

1. rem quae est in possessione alicujus, ut ol. 1, 9 *σοφῶν μητίεσσι*, alia;

2. rem quae originem ducit ab aliquo, ut saepissime filius patris, similia; ubi ex exemplorum copia memorabo tres genetivos de solo articulo pendentes, omisso *υἱός*: n. 5, 13 *ὁ τᾶς θεοῦ*. ol. 2, 46 *τὸν Αἰνησιδάμου*. ol. 11, 70 *Σᾶμος ὡλιροθίου*. (cf. Mommsen., Mus. Rhen. IV, 548.)

3. causam efficientem sive auctorem rei (genetivus subjectivus): ol. 5, 20 *Λαμνιάδων γυναικῶν ἐξ ἀτιμίας*. p. 4, 51. 260 *σὺν τιμᾷ θεῶν beneficio deorum* (erga homines); et similiter dictum est ol. 2, 65: *παρὰ μὲν τιμίοις θεῶν apud homines a diis honoratos*. p. 12, 4 *ἀθανάτων ἀνδρῶν τε σὺν εὐμενίᾳ*.

4. materiem e qua quid perfectum est, cujus usus non ita pervulgati apud alios sunt exempla Pindarica omnia: p. 4, 71 *ἧλοι ἀδάμαντος*. i. 7, 67 *μυρσίνας στέφανος*. p. 4, 240 *στέφανοι ποίας*. n. 5, 54 *ἀνθέων ποιᾶντα στεφανώματα*. ol. 2, 72 *ἄνθεμα χρυσοῦ φλέγει*. v. 74 *ὅρμοῖσι τῶν* (sc. *ἀνθέμων*). i. 1, 20 (18) *φιάλαισι χρυσοῦ*. p. 1, 6 *κεραυνὸν ἀενάου πυρός*. — (de loco p. 4, 206 *νεόκτιστον λίθων θέναρ* v. pag. 25.)

5. qualitatem nomini ei, de quo pendet genetivus, propriam, quod raro invenitur apud Pindarum: n. 8, 3 *ἀνάγκας χερσὶ βαστάζεις manibus necessario coercentibus*; secundum cujus exempli structuram legere malim p. 4, 234 *δήσαις ἀνάγκας ἔντεσιν αὐχένας*, ubi *ἀνάγκας* aeque bonis et scholiorum et codicum praesidiis mihi firmari videtur, atque *ἀνάγκᾳ* (Schneidewin.) sive *ἀνάγκαις* (Mommsen.) quae ex *ἀνάγκας* mutari facile poterant a scholiasta, cui offensioni erat locutio sane insolita; minus probabile videtur contrarium.

(Cum verbo substantivo conjunctus est talis genetivus p. 3, 60: *οἵας εἰμὲν αἴσας*, vide infra.)

---

patris quam *filius patris*; quare ita quaestionis ordinem disponit, ut ubique a genetivo cum verbis conjuncto exordiatur; qua in re cum eo facere non possum. Immo quum ab antiquissimis temporibus genetivum quam maxime cum substantivis conjunctum esse constet, in Pindari consuetudine exponenda ab hoc usu proficiscendum esse putavi.

Haud raro vero secundum usum poetarum vulgatissimum e contrario aliqua res, quae cum altera comparatur sive cui alterius notio tribuitur, ita cum ea in unam coalescit significationem, ut genetivo cum ea conjungatur, ubi nos interdum nomine composito utimur. Quod plerumque quidem ita factum est, ut tales rerum virtutes, de quibus quam maxime agitur in rebus narratis, eligantur et quasi praevalentes regant genetivum nominis; interdum vero — ut in loco infra allato n. 10, 73 — ea structura usus Pindarus etiam in epithetis ornantibus, quae dicuntur, nihil fere valentibus ad res eas, quae tum narrantur, illustrandas.

Exempla sunt: n. 10, 36 *ἐν ἀγγέων ἕρκεσιν*, ubi *ἄγγη* ipsa dicuntur *ἕρκη*, quoniam oleum quasi includunt (cf. Homericum illud *ἕκρος ὀδόντων*). p. 10, 46 *ποικίλον κάρα — δρακόντων φόβαισι* = *crinibus qui erant serpentes*; nos: *mit Schlangenhaaren.*

Similia sunt: n. 10, 42 *Κορίνθου ἐν μυχοῖς*. p. 8, 63 *Πυθῶνος ἐν γυάλοις*, i. e. *in montuosa Pythone.* (Matthiae gramm. gr. §. 316.)

Eodem referendum videtur substantivum *βία* cum genetivo nominis conjunctum, quod vides apud Pindarum

nominativo positum ol. 11, 26 *βία Ἡρακλέος* (e scriptura Boeckhii). n. 5, 12 *βία Φώκου κρέοντος*;

accusativo positum ol. 1, 88 *ἕλεν Οἰνομάου βίαν*. i. 7, 54 *ἐκταμὼν ... Μέμνονος βίαν*. p. 11, 61 *Κάστορος βίαν*;

cum praepositione conjunctum n. 10, 73 *ἐπ' ἀδελφέου βίαν χώρησεν*, ubi prorsus *βία* suam vim perdidit, ut de persona ipsa tantum (de eodem Castore, qui memoratur in ultimo loco p. 11, 61) dictum sit, quum agatur ibi de Castore vulnerato et moribundo.

Multo magis suo juris mansit *ἀλκά* i. 3, 53: *ἴστε μὰν Αἴαντος ἀλκὰν φοίνιον audivistis de Ajacis robore*; et similia sunt *σθένος ἡμιόνων* ol. 6, 22. *Ἡρακλέος* frgm. 5, 5. *σθένος ἀελίου λεύσσομεν* p. 4, 144. — n. 10, 13 *θρέψε δ' αἰχμὰν Ἀμφιτρύωνος* = *Amphitruonem hasta excellentem.*

Interdum similis esse videtur usus Pindaricorum illorum vocabulorum *ἀκμή*, *ἄωτος*; ita n. 4, 62 *λεόντων ὄνυχας — ἀκμάν τε δεινοτάτων ὀδόντων* poetice dictum videtur *robur*

dentium eadem fere significatione quam *dentes robusti*; et p. 4, 131 ἱερὸν εὐζωᾶς ἄωτον. i. 7, 16 χαρίτων ἄωτον ἄκρον sententia mihi videtur esse ea, ut εὐζωά et χάριτες ipsae dicantur summae flores.

Substantiva abstracta verbalia vero (ut Soph. Aj. 159: πύργου ῥῦμα = πύργος ῥυόμενος (nos: Thurmschutz); Soph. Aj. 1076 μηδὲν φόβου προβλῆμα ἔχων. Eur. El. 1241 περισσὸν ἄχθος γυναικῶν) ita cum genetivo nominum conjuncta apud Pindarum non inveni.

6. vel omnino rem cum alia aliquo modo cohaerentem sive conexam significat genetivus: ol. 6, 15 ἑπτὰ πυρᾶν — νεκρῶν *mortuorum, qui septem rogis impositi erant.* ol. 3, 18 στέφανος ἀρετᾶν *corona virtutibus debita.* i. 1, 24 τῶν (sc. ἐργμάτων) ἔρνεσιν. ol. 7, 80 τῶν (ἀέθλων) ἄνθεσιν. n. 10, 67 ἄγαλμα Ἀΐδα *signum Plutoni sacrum.* Interdum urbium nominibus genetivus dei ejus, cui maxime deditae sunt, praeponitur: ol. 6, 5 Διὸς ἐν Πίσᾳ. (cf. ol. 2, 3 infra); quin etiam substantivo a nomine urbis derivato talis genetivus additus est p. 7, 15 μία δ' ἐκπρεπὴς Διὸς Ὀλυμπιάς, quum quaecunque ad eam urhem pertinebant cum Iove ipso arctissime conjuncta esse viderentur.

Eodem modo de Thearorum collegio Apollini sacro dictum est n. 3, 70 σεμνὸν ἀγλααῖσι μερίμναις Πυθίου Θεάριον (non enim μερίμναις cum genetivo Πυθίου conjungendum esse puto, sed ἀγλααὶ μέριμναι dictum esse conseo de laboribus ad res ludicras pertinentes).

Haud raro genetivi tales, quales adhuc enumeravi, praedicati in modum verbo addito cum eo nomine, de quo pendent, conjunguntur. Quod vulgatissimum est in verbo εἶναι: p. 3, 60 οἵας εἰμὲν αἴσας. ol. 2, 3 Πίσα μὲν Διός (ἐστιν). n. 10, 46 μακροτέρας ἀριθμῆσαι σχολᾶς. ol. 9, 53 κείνων δ' ἔσσαν ὑμέτεροι πρόγονοι *illorum (filii) erant vestri proavi.*

Eodem modo usurpata sunt etiam verba γίγνεσθαι et φυτεύεσθαι: ol. 6, 49 Φοίβου αὐτὸν φᾶ γεγάκειν πατρός. p. 4, 144 ἄμμες αὖ κείνων φυτευθέντες, et in eodem carmine p. 4, 256 γένος Εὐφάμου φυτευθέν; et verbum appellandi p. 3, 67 ἤ τινα Λατοΐδα κεκλημένον ἢ πατέρος; quorum exemplorum

paulo audacius constructa videntur ea, quibus **nomen ipsum**, de quo pendeat genetivus, deest.

Interdum etiam alia verba ita genetivis addita **sunt**: ol. 8, 43 *φάσμα Κρονίδα πεμφθὲν βαρυγδούπου Διός*. **n. 3**, 52 *λεγόμενον δὲ τοῦτο προτέρων ἔπος ἔχω*, ubi tamen **participia** facilius ad structuram se applicare videntur. n. 1, 8 *ἀρχαὶ βέβληνται — θεῶν fundamenta jacta sunt tanquam deorum (fundamenta)*. ol. 4, 10 *Ψαύμιος γὰρ ἵκει ὀχέων* (*ὁ κῶμος*), ubi etiam dicere poterat poeta: *Ψαύμιός ἐστι*. **Audacissima** vero videtur esse structura alius loci, si quidem hoc **modo** explicanda est, p. 4, 244 *κεῖτο γὰρ λόχμᾳ* (*τὸ δέρμα*, v. 241), *δράκοντος δ' εἴχετο λαβροτατᾶν γενύων*, ubi fortasse **permixtae** sunt duae structurae: *ἦν δράκοντος γενύων* = *es war (im Besitz) des Drachenschlundes*, et: *εἴχετο ὑπό δρ. γεν.* = *es wurde bewahrt vom Drachenschlunde*; certe ita intellexisse videntur hunc locum et scholiastae, explicantes: „*λείπει δὲ ἡ ὑπό*“, „*κατείχετο ὑπὸ τῶν δεινοτάτων τοῦ δράκοντος γενύων*“, et Boeckhius, vertens: *draconis tenebatur saevissimis malis*. — Quae structurae explicatio, licet audacissima, melius tamen mihi placet quam altera, e qua *pependisse* dicatur vellus de faucibus draconis (qua significatione praeditum est *ἔχομαι* apud prosae orationis scriptores, nunquam apud Pindarum, qui omnino in hoc solo carmine v. 233 et 244 medio ejus verbi usus est), quod minime convenit cum verbis: *κεῖτο λόχμᾳ* et totius loci sententia. — Quare aut eam quam supra protuli interpretationem tenendam aut locum corruptum esse judico; cujus medela fortasse est: *λαβροτάτᾳ γενύων* (cf. *δίκαιος ξένων* ol. 2, 6. *ἐν σοφοῖς ἀνδρῶν* n. 8, 41), aut: *εἶχε τὸ λαβροτάτον γενύων*.

Adjectivis iis, quae possessionem rei sive conjunctionem cum aliqua re indicant, in lingua Graeca aut genetivus additur aut dativus, quod multo saepius factum est a Pindaro, ita ut ea adjectiva nondum substantivorum induisse videantur structuram (quod fit, si conjungitur *φίλος ἀνδρός*, similia), sed praevaleat in iis notio actionis, quae ad aliam rem sive personam pertineat et ab ea excipiatur (quod fit, si dicis: *φίλος ἀνδρί*). — Quare vide de iis dativi descriptionem §. 6, 7.

Ex adverbiis restant praeter ea, quae in dativi usu describendo memoravi, ea, quae loci conjunctionem denotant;

è quibus cum genetivo conjuncta inveni apud Pindarum: ὄπι-θεν πνοιᾶς ol. 3, 31 (Mommsenus πνοιαῖς, quae non tolerabilis videtur structura). ol. 6, 63. frgm. 261. — p. 4, 191. i. 3, 79. frgm. 227 ὕπερθεν. p. 9, 31 καθύπερθεν. frgm. 227 νέρθεν, ἐφύπερθεν. ol. 3, 12 ὑψόθεν. — ἔνδον φαρέτρας ol. 2, 84. θαλάσσας ol. 7, 62. Ὀλύμπου p. 11, 64, quod rarissimum est apud alios (cum dat. n. 3, 52. n. 7, 44). Quibus adnumerabo etiam ἄντα σκοποῦ n. 6, 30. ἀντία ol. 1, 56. ol. 13, 55. ἔμπαλιν γνώμας p. 12, 32. τέρψιος ol. 12, 11. — ol. 11, 87 ἵκοντι τὸ πάλιν νεότατος *adversariam juventutis partem*, i. e. *senectutem ingresso*; et, quae jam ad partitivum genetivi usum pertinere videntur, ol. 11, 2 πόθι φρενός et ol. 2, 46 ὅθεν σπέρματος ἔχοντι ῥίζαν, *unde seminis*, i. e. *e quo semine radicem habent* (secundum Mommsenum,. Mus. Rhen. IV, 549). — Confer ἀρχᾶθεν φύτλας ol. 9, 55.

Ἕκατι, quae vox apud Pindarum prorsus adverbii in modum usurpata est, non solum, ut in Odyssea et apud Hesiodum, conjungitur cum genetivo indicanti deum, cujus voluntate et numine aliquid fit, sed etiam cum aliorum nominum genetivis: p. 10, 58 ἕκατι στεφάνων. n. 8, 47 ἕκατι ποδῶν.

7. Objectivi qui dicitur genetivi exempla memoranda nonnulla videntur.

Saepe res quae arcetur altera, per genetivum cum ea conjungitur: n. 7, 96 δύναται δὲ βροτοῖσιν ἀλκὰν ἀμαχανιᾶν δυςβατῶν δόμεν, ubi ἀλκὰ est vis, quae valet contra aliquid, ut transeat in hanc significationem: *auxilium contra difficultates*.

Similiter victoria reportata sive carmen, quo ea celebratur, dicitur p. 5, 106 λυτήριον δαπανᾶν. ol. 7, 77 λύτρον συμφορᾶς. i. 7, 1 λύτρον καμάτων. (cf. n. 10, 76 λύσις πενθέων. p. 4, 63 ποινὰ φωνᾶς.) ἄποινα ol. 7, 16. p. 2, 14. n. 7, 16. i. 3, 7. i. 7, 4. ἄκος πλαγᾶν n. 3, 18. πόνων ἰατρός n. 4, 2. p. 4, 187 φάρμακον ἀρετᾶς. Leonis pellis dicitur ol. 9, 98 φάρμακον ψυχρᾶν αὐρᾶν; cf. p. 4, 221 ἀντίτομα ὀδυνᾶν. ol. 8, 7 τῶν δὲ μόχθων ἀμπνοάν.

Haud raro substantiva abstracta a verbis derivata cum genetivo objectivo conjuncta sunt: i. 5, 70 ξενων εὐεργεσίαις. ol. 3, 21 κρίσις ἀέθλων. χρῆσις n. 1, 30. ol. 10, 2. χρεῖαι φίλων n. 8, 42. λύσις n. 10, 76. ἐς ἄμελξιν γλάγους frgm. 73, 4. — p. 4, 112 κάδος ὡςείτε φθιμένου. ol. 2, 6 ὄπις? p. 4, 218 τοκέων αἰδῶ *reverentia erga parentes*; ol. 7, 44 Προμαθέος αἰδώς. p. 9, 39 Πειθοῦς ἱερᾶν φιλοτάτων *persuasionis ad amores.*

Audentius est p. 2, 63 θράσος δεινῶν πολέμων; et λόγος cum genetivo ejus de quo sunt sermones, p. 7, 10 λόγος Ἐρεχθέος ἀστῶν. n. 4, 71 λόγον Αἰακοῦ παίδων; et e Mommseni scriptura ol. 7, 86 ἑτέρου λόγον (Boeckh. ἕτερον).

8. Partitivus genetivus invenitur

conjunctus cum pronomine p. 9, 33 τίς ἀνθρώπων. p. 3, 103 εἴ τις θνατῶν. i. 3, 1. i. 5, 10 εἴ τις ἀνδρῶν. ol. 1, 104 μή τινα — τῶν γε νῦν;

cum adjectivis n. 8, 41 ἕν σοφοῖς ἀνδρῶν. p. 11, 52 τῶν ἄμ πόλιν — τὰ μέσσα. ol. 13, 57 ἐπ' ἀμφότερα μαχᾶν *in utraque pugnarum parte.* — Quibus adnumerandum est etiam ol. 2, 6 ὄπιν δίκαιον ξένων, nisi ibi ξένων est objectivus genetivus pendens a substantivo ὄπιν: *justum in reverentia erga hospites*; certe eadem laus tribuitur homini diviti i. 6, 70. ol. 3, 40. n. 1, 20 alibi;

cum superlativis: ol. 3, 40 πλείσταισι βροτῶν — τραπέζαις. i. 7, 23 κεδνότατον ἐπιχθονίων. i. 6, 5 τὸν φέρτατον θεῶν. p. 6, 25 μάλιστα θεῶν. p. 10, 24 τὰ μέγιστ' — ἀέθλων. p. 8, 65 τὸ μέγιστον — χαρμάτων; ita etiam cum verbo similis significationis n. 1, 14 ἀριστεύω (= ἀριστός εἰμι) εὐκάρπου χθονός; et adverbiis ol. 9, 69 ἐξόχως ἐποίκων. ol. 1, 2 ἔξοχα πλούτου. ol. 8, 23 ἀνθρώπων. p. 5, 24 ἑταίρων.

Cognatus est comparativus genetivus, quem post comparativum gradum adjectivi Pindarus haud raro posuit: ol. 1, 5. 7. 2, 95. 8, 63. 9, 104. p. 1, 85. 5, 102. 8, 92 (96). — n. 4, 6. 38. 81. n. 9, 32. i. 1, 2. 5. 6, 22. 7, 34. frgm. 266; ter additum est adjectivum ἄλλος: ol. 1, 5 μηκέτ' ἀελίου

σκόπει ἄλλο θαλπνότερον ἄστρον. ol. 9, 104 *ἔντι ἄλλαι ὁδῶν ὁδοὶ περαίτεραι.* i. 7, 34 *κεραυτοῦ κρέσσον ἄλλο βέλος.*

Interdum non prorsus accurata est comparatio, sicut ol. 1, 7 *Ὀλυμπίας ἀγῶνα φέρτερον.* p. 8, 92 (96) *κρέσσονα πλούτου μέριμναν.* p. 5, 102 (109) *κρέσσονα ἀλικίας νόον,* ubi genetivus comparativus positus est pro *ἤ* cum ipso genetivo, cf. Krueger 47, 27, 1. dial. 47, 27, 2. (Positum est *ἤ* post comparativum ol. 13, 109. p. 4, 210. n. 7, 21.)

Aeque posita sunt cum genetivo comparativo adjectiva et adverbia notionis comparativae: i. 4, 3 *περιώσιον ἄλλων.* — *πέραν* n. 5, 21. i. 5, 23; et, quod singulare videtur, *περατός* n. 4, 69 *Γαδείρων τὸ πρὸς ζόφον οὐ περατόν ultra Gadiros occidentem versus non progrediendum.*[1]) — *πρὶν ὥρας* p. 4, 43, quod perrarum esse dicit God. Hermannus ad Vig. 742; nec minus verba: *παραμείβομαι* n. 11, 13 *εἴ τις μορφᾷ παραμεύσεται ἄλλων*, ubi Boeckhius et Mommsenus contra codices scripserunt *μορφάν*, secuti structuram ejus verbi quae legitur p. 2, 50 *παραμείβεται δελφῖνα; νικᾶσθαι* (eadem significatione usurpatum qua apud prosaicos scriptores *ἡττᾶσθαι*) n. 9, 2 *ξείνων νενίκανται θύραι portae inferiores sunt hospitibus, superantur* i. e. *transeuntur ab hospitibus.*

Genetivum partitivum cum v e r b i s conjunctum, ita ut certa tantum rei pars actione verbi affecta videatur, cernis i. 3, 51 *τῶν τε γὰρ καὶ τῶν διδοῖ.* ol. 3, 33 *τῶν νιν ἵμερος ἔσχεν — φυτεῦσαι.* p. 2, 90 *στάθμας τινὸς ἑλκόμενοι.* frgm. 88, 1 *ἐρώτων δρέπεσθαι.* — Ceterum plerumque genetivo cum verbis conjuncto sensum partitivum inesse probabile est; quod quam maxime fit in verbis n a n c i s c e n d i et t a n g e n d i, quorum nonnulla — *ψαύω, θιγγάνω, ἅπτομαι* cum compositis — Pindarus solus etiam cum dativo conjungit; cf. §. 6, 7. — Cum solo genetivo (aut accusativo) conjunguntur: *τυγχάνω* ol. 2, 47. 51. p. 9, 41. 10, 26. i. 3, 61. 7, 35. p. 1, 35 secundum Mommseni scripturam; Boeckh. *τελευτάν* accusativum. — cum acc. n. 7, 55. — *λαγχάνω* ol. 14, 2? i. 7, 64. frgm. 45, 6. 126, 4. — saepius cum acc. — *κυρέω* i. 5, 36 *κύρησε δαινυμένων;*

---

1) Nisi genetivus *Γαδείρων* conjungendus est cum verbis: *τὸ πρὸς ζόφον*, ita ut ea verba subjecti locum teneant.

Mommsenus fortasse rectius *δαινύμενον*. — (*ἐπικύρω* dubito an ol. 6, 7 cum genetivo *ἀφθόνων* conjungendum sit.) — *μετέχω* p. 2, 83. *ἐπέτοσσε κρημνάντων* p. 4, 25. — cum accusativo participii p. 10, 30 (33). — *ἐπέβασε* sensu transitivo i. 1, 40 (*ἐπέβα* cum dat. n. 3, 19. cum dat. p. 1, 18.) — *βαλεῖν* cum genetivo rei petitae ol. 1, 58 *κεφαλᾶς βαλεῖν*. *ἀντιβολῆσαι* ol. 13, 30. — *ἀντόμενος* p. 2, 71. *ἀντάσαις ἁλώσιος* (Boeckhius aliter explicat genetivum); sed *συναντόμενος* i. 2, 2. *ἀντιάζω*, *ὑπαντιάζω* cum dat. — *ἔχεσθαί τινος* p. 4, 233 *εἴχετ᾽ ἔργου* = *incipiebat opus*; *ἀντέχομαι Ἡρακλέος* n. 1, 33 = *omne studium ad Herculem celebrandum contuli*. — *γεύομαι* p. 9, 35. 10, 7. n. 6, 27. 7, 87. — *πειράω* cum gen. n. 5, 30 (= *appetere aliquid quod non conceditur*). — *πειράομαι* n. 1, 43. n. 11, 23. ol. 2, 57. p. 4, 84; sed cum acc. p. 2, 34 *Διὸς ἄκοιτιν ἐπειρᾶτο* (ut activum Ar. pax 747. *πειρητίζειν* M. 47; medium, quoad equidem scio, nusquam alibi). — *ἄρχω* = *dominus sum* cum genetivo rei vides p. 4, 230 *ἄρχει ναός*; ubi *incipiendi* vim habet, cum genetivo conjunctum est solum medium: p. 4, 30 *φιλίων ἐπέων ἄρχετο*. n. 5, 25 *Διὸς ἀρχόμενοι*; activum cum accusativo conjunctum est n. 3, 10 *ὕμνον ἄρχε* et cum dativo (instrumentali) i. 5, 37 *σπονδαῖς ἄρξαι*.

Inter verba appetendi cum genetivo conjuncta sunt: *ἔραμαι* p. 2, 27. 3, 20 alibi. *δέομαι* n. 7, 13. *διψάω* n. 3, 6. (*μαίομαι* ubique cum acc.)

Verba sentiendi et reminiscendi: *μέμνασθαι* n. 1, 12. 7, 80. 9, 10. p. 9, 81. semel cum acc. pronominis: i. 7, 26 *ταῦτα καὶ θεῶν ἐμέμναντ᾽ ἀγοραί*. — *περικήδεσθαι δικαίων* n. 10, 54. — *λάθεσθαι oblivisci* ol. 8, 72. p. 4, 41. — *ἀκούω* semel cum genetivo personae ita usurpatum est, ut omnino in experiendi significationem transiret: n. 2, 14 *Ἕκτωρ Αἴαντος ἄκουσεν* = *expertus est*; praeterea id verbum conjungitur cum genetivo personae ejus, quae sonum profert p. 4, 135 *τῶν ἄκουσε*. ol. 8, 81. p. 1, 27. frgm. 8, 1; semel cum accusativo personae, de qua quis audit verba p. 9, 112 in prolepsi: *ἄκουσεν Δαναὸν — ὅτι εὗρεν*; cum genetivo rei auditae i. 7, 31. p. 1, 2. cum accusativo rei ol. 6, 66. p. 5, 101. i. 4, 15. 5, 40. frgm. 91, 3. 169.

Etiam verbi *ἐπιγιγνώσκω* aoristus semel cum genetivo conjunctus est p. 4, 279: *ἐπέγνω Κυράνα — δικαιᾶν Δαμοφίλου πραπίδων* (*Δ.* 357 *γνῶ χωομένοιο*).

9. Denique cognatus cum partitivo usu videtur is quoque genetivus, qui liberiore modo adjectivis, verbis, vel etiam toti sententiae ita additur, ut significet (ut ait Ebinger pag. 25) „eum quasi circulum (Bereich), in quo res aut facta aut cogitata quidem est;" quem vario modo usurpavit etiam Pindarus.

Ita verbis *αἱρέω*, *μάρπτω*, similibus praeter accusativum objecti additur genetivus, indicans partem eam, qua quis trahitur etc.: p. 9, 122 *παρθένον χερὶ χειρὸς ἑλών*. n. 11, 32 *τὸν δ' αὖ — χειρός ἕλκων ὀπίσσω*. p. 6, 19 *σχέθων νιν ἐπιδέξια χειρός*. n. 1, 44 *αὐχένων μάρψαις ὄφιας*; quibus exemplis addo n. 7, 94 *ἀμφοτέρας χειρὸς ἰών*, ubi prorsus adverbii in modum genetivus significat locum, intra quem aliquid factum est.

Etiam verbo *ἀγέομαι* cum dativo vel praepositione conjuncto res ea, in qua quis antecedit alios, genetivo addita est duobus locis: p. 4, 248 *πολλοῖσιν ἅγημαι σοφιᾶς*. n. 5, 25 *ἐν δὲ μέσαις Ἀπόλλων ἁγεῖτο παντοίων νόμων*; et *μετέχω* conjunctum est cum dativo personae, genetivo rei p. 2, 83 *οὔ οἱ μετέχω θράσεος*.

Genetivus pretii positus est apud verbum *πρίαμαι* p. 6, 39; simile est ol. 12, 12 *ἐσλὸν βαθὺ πήματος πεδάμειψαν* (p. 4, 17 id verbum cum praep. *ἀντί* conjunctum); quibus locis adnumero adjectivum *ἐπάξιος πάντων* n. 7, 89.

Etiam adjectivis liberiore modo explicandi causa genetivus additur: p. 2, 80 *ἀβάπτιστός εἰμι ἅλμας*; et p. 4, 206 *νεόκτιστον λίθων βώμοιο θέναρ* genetivum jungere malim cum adjectivo: *nuper exstructum e lapidibus.*

Causam significat talis genetivus ol. 7, 6 *θῆκέ νιν ζαλωτὸν ὁμόφρονος εὐνᾶς propter concordem torum invidendum,* cum adjectivo verbali; et n. 7, 25 *ὅπλων χολωθείς iratus propter arma* cum participio conjunctus.

Tempus denique indicat genetivus, ad totam sententiam se applicans: ol. 6, 61 *νυκτὸς ὑπαίθριος*. p. 4, 40 *ἑσπέρας*. ol. 2, 93 *ἑκατόν γε ἐτέων*. ol. 13, 37 *μηνὸς τωὐτοῦ*. (Sed

i. 3, 36 ita explicare genetivum *ποικίλων μηνῶν* vetat collocatio verborum.)

Huic liberiori genetivi usui cognatus est etiam genetivus quem dicunt absolutus, de quo dicam in participiorum usu describendo.

10. Restat genetivus conjunctus cum verbis, adjectivis, adverbiis iis, quibus separandi significatio inest, in quo usu genetivus Graecus suscepisse videtur ablativi deperditi vices.

a) verba transitiva: *παρασφάλλω* n. 11, 31. *παραλύω* ol. 2, 52. *λύω* p. 11, 34 *δόμους ἔλυσεν ἁβρότατος.* p. 3, 50 *λύσαις ἄλλον ἀλλοίων ἀχέων* (cum praep. *ἐκ* ol. 4, 23. i. 7, 5). *στερίσκω* n. 8, 27. *ἐρημόω* cum acc. et gen. i. 3, 25 *νιφὰς πολέμοιο τεσσάρων ἀνδρῶν ἐρήμωσε μάκαιραν ἑστίαν* (cum duplici acc. p. 3, 97). *ἀμείρω* p. 6, 27. *ἀμέρδω* ol. 12, 16. *ἀπαυράω* p. 4, 150. — ol. 9, 89 *συλαθεὶς ἀγενείων* *modo ereptus* (*egressus*) *e pueris.* *ἀποσυλάω* p. 4, 110. *ὑφαιρέω* n. 7, 79. *κλέπτω* ol. 1, 60: *ἀθανάτων κλέψαις — συμπόταις νέκταρ δῶκεν.*

b) verba intransitiva (verba egendi): *χατίζω* ol. 2, 86. *ἀμπλακέω* ol. 8, 67. *ἁμαρτάνω* n. 7, 37. *φείσασθαι κελεύθου* n. 9, 20. i. 5, 34. i. 7, 7 *πανσάμενοι ἀπράκτων κακῶν* (sed *παύω* cum duplici acc. n. 3, 37; cum simplici n. 6, 21. i. 7, 13. 35).

Similiter paullo audentius cum genetivo conjuncta sunt verba *ἀλᾶσθαι* et *πλανᾶσθαι*: ol. 1, 58 *εὐφροσύνας ἀλᾶται.* n. 8, 4 *καίρου μὴ πλαναθένται* = *non aberrantem ab opportunitate.*

Praeterea saepissime cum tali genetivo conjuncta sunt verba composita cum praepositionibus *ἀπό*, *ἐξ*, *παρά*, quae enumerare longum est.

c) adjectiva separandi notione praedita collegi: *νήποινος expers* p. 9, 58. *ἀδαήμων Μοισᾶν* frgm. 295. *ἀγνῶτα θηρῶν* p. 9, 58. i. 2, 30. *ἄγνωστος ψευδέων* ol. 6, 67. *ἀπείρατος καλῶν* ol. 10, 18. cf. n. 1, 23. *ἄπειρος* i. 7, 70? frgm. 107, 2. *ἀπόκλαρος* p. 5, 50. *ἀπάορος* p. 8, 86 (*συνάορος* et similia cum dat.). *ὀρφανός* ol. 9, 61. i. 3, 26. 6, 10; et eundem in modum constructum est etiam substantivum *ὀρφανία* i. 7, 6: *μήτ' ἐν ὀρφανίᾳ πέσωμεν στεφάνων.*

d) adverbia: ἄτερ n. 7, 27 saepe. ἄτερθε ol. 9, 78. ἔξω πλόου p. 11, 39. φρενῶν ol. 7, 47. i. 5, 68 (72). p. 1, 44. frgm. 239, 2. τηλόθεν n. 2, 12. τῆλε πάτρας p. 11, 23. ἄνευ et ἄνευθε saepe.

Postremo annotabo, etiam duorum genetivorum conjunctionem minime fugere Pindarum, velut n. 2, 4 καὶ ὅδ' ἀνήρ καταβολὰν ἱερῶν ἀγώνων νικαφορίας δέδεκται, ubi memoranda est collocatio genetivorum, quum verba ἱερῶν ἀγώνων antecedant genetivum νικαφορίας, de quo pendent. Praeterea confer ol. 8, 81. i. 3, 38. n. 4, 71.

§. 6.

De dativi usu.

Quod ad ordinem quaestionis attinet in hujus casus usu Pindarico exponendo, secutus G. Curtii exemplum [1]) ab usu dativi proprio separare conabor eas significationis partes, quas a vestutis illis Indogermanicis casibus, deperditis jam in ea quae nobis superest lingua Graeca, suscepisse videtur dativus, instrumentalem dico et localem. Quamvis enim non ubique prorsus distingui possint eae significationes, omnino tamen usum dativi Graeci triplicem esse apparet; significatur enim eo casu aut persona ea sive res, quae actionem verbi sive vim adjectivi (vel interdum etiam substantivi) excipit vel sentit vel alio modo ad eam pertinet; aut instrumentum, quo aliquid perficitur, unde etiam causae fluxisse videtur significatio; aut denique locus sive tempus agendi. Quare secundum hunc ordinem dativi usum exponam.

I. 1. Dativus proprius possessorem alicujus rei indicat conjunctus cum verbis εἶναι n. 10, 80. i. 3, 9. 19. ἐπεῖναι n. 7, 22. γίγεσθαι n. 6, 23. ἀνακεῖσθαι ol. 10, 7; et similiter dictum est n. 6, 35: Βασσίδαισιν ἅτ' οὐ σπανίζει.

---

1) Erläuterungen zu meiner griechischen Schulgrammatik, Prag. 1863. pag. 158. 159.

2. Dativus commodi permultis locis legitur apud Pindarum, quorum e numero memorabo eos, in quibus dativo significantur ii, quorum in honorem aliquid fit: n. 2, 24 *τὸν (ἀγῶνα) κωμάζετε Τιμοδήμῳ.* n. 7, 51 *τόδ' εἰπεῖν φαενναῖς ἀρεταῖς.* p. 11, 42 *παρασσέμεν ἢ πατρὶ Πυθονίκῳ ἢ Θρασυδαίῳ.* p. 7, 4 *κρηπῖδ' αοιδᾶν ἵπποισι βαλέσθαι.* n. 1, 7 *εἴργμασι νικαφόροις ἐγκώμιον ζεῦξαι μέλος.* n. 3, 10 *ἄρχε Διΐ ὕμνον.* cf. ol. 3, 9. 4, 12. 6, 87. i. 6, 20. p. 9, 89. 10, 5. frgm. 64. — Paullo liberius dictum est n. 6, 19 *Αἰακίδαις πρῶτον στεφανωσάμενος qui coronam sibi paravit in honorem Aeacidarum.*

Interdum Pindarus dativo posuit res sive notiones abstractas, ad quas sicut ad homines actio verbi pertinere dicitur; quare factum est, ut dativus iis locis finem agendi indicaret: i. 3, 75 *ναυπλίαισι πορθμὸν ἁμερῶσαι in usum navigationum,* i. e. *navigandi causa.* ol. 7, 48 *τεῦξαν δ' ἀπύροις ἱεροῖς ἄλσος* (ubi fortasse instrumentalis est dativus). ol. 4, 14 *τροφαῖς ἑτοῖμον ἵππων.* (Aliter explico *ἀρετᾷ* ol. 11, 20. *πόνοις* i. 3, 17, quod cum verbo *διέστειχον* conjungendum esse puto contra Boeckhium. — *γοναῖς* i. 6, 7. *γάμῳ* i. 7, 27, quod cum *ἀμφί* conjungo.)

Saepissime dativus commodi a Pindaro, etiam sine verbo, cum substantivis conjunctus est, eadem interdum libertate, qua alii scriptores usi sunt in genetivo: n. 7, 14 *ἔργοις καλοῖς ἔσοπτρον ἴσαμεν.* ol. 9, 84 *τιμάορος Ἰσθμίαισι μίτραις.* i. 5, 57 *ἦλθον Φυλακίδᾳ ταμίας κώμων.* n. 4, 73 *Θεανδρίδαισι — κᾶρυξ ἔβαν.* ol. 6, 5 *βωμῷ τε μαντείῳ ταμίας.* ol. 13, 54 *ναΐ σώτειραν Ἀργοῖ καὶ προπόλοις.* ol. 13, 3 *ξένοισι θεράποντα.* n. 7, 85 *ἑᾷ πολίαρχον πάτρᾳ.* ol. 9, 15 *Θέμις θυγάτηρ τέ οἱ Σώτειρα.* p. 9, 51 *ταύτᾳ πόσις ἵκεν.* p. 5, 76 *ἐμοὶ πατέρες.* p. 10, 59 *νέαισιν παρθένοισιν μέλημα.*

Etiam *χάριν* ita cum dativo conjunctum est p. 11, 10. n. 7, 75; cf. §. 4, 4.

3. Ethici dativi multi leguntur apud Pindarum; praesertim *οἱ* saepissime et interdum abunde additum est, velut p. 4, 243 *ἤλπετο* (Aeetes) *οὐκέτι οἱ κεῖνόν γε πράξεσθαι πόνον.* n. 10, 29 *τῶν ἔραται φρενί, σιγᾷ οἱ στόμα.* Alia exempla sunt: ol. 1, 65. 13, 91. p. 4, 23. 189. 197. 9, 83.

i. 7, 57. — *μοί* p. 8, 58. *σφίν* ol. 7, 76 *ἀπάτερθε* — *κέκληνταί σφιν ἕδραι separatim vocatae sunt iis sedes*, quae aptissima explicatio mihi videtur. n. 6, 30. alibi.

Fortasse pro ethico dativo habendum est etiam *τίν* p. 8, 68 *ἄναξ, ἑκόντι δ᾽ εὔχομαι νόῳ κατὰ τὶν ἁρμονίαν βλέπειν*: et simili modo ol. 1, 57 *ἄν οἱ πατὴρ ὑπερκρέμασε καρτερὸν αὐτῷ λίθον* per abundantiam quandam pronominum *οἱ* insuper additum videtur verbo ita, ut referendum sit ad Jovem; quod si non placebit, conjungendum erit *αὐτῷ* cum *καρτερόν λίθον*, *οἱ* cum verbo *ὑπερκρέμασε* (secundum God. Hermanni explicationem). Quare non necessarium videtur, hoc loco *οἱ* conjungere cum *πατήρ*, quod voluit Boeckhius (expl. ol. 1, 57 not. ol. 2, 16); qui eodem modo explicat etiam in his locis dativos pronominum: ol. 2, 14 *ἄρουραν πατρίαν σφισὶ κόμισον λοιπῷ γένει*. ol. 8, 83 *ὅν σφι Ζεὺς γένει ὤπασεν*. n. 7, 22 *ἐπεὶ ψεύδεσί οἱ — σεμνὸν ἔπεστί τι*; ubi ego dativos pronominum cum verbis conjungo, ita ut alteri dativi explicandi gratia iis pronominibus addita sint, quod factum est etiam in aliis locis Pindaricis: i. 1, 14 *Ἡροδότῳ τεύχων ἅρματι γέρας*. 59 *ὅσα Ἑρμᾶς Ἡροδότῳ ἔπορεν ἵπποις*. p. 1, 7 *ἐπί οἱ νεφέλαν ἀγκύλῳ κρατὶ κατέχευας*. p. 9, 120 *ἀμφί οἱ ψαύσειε πέπλοις*. i. 2, 15 *αὐτῷ στεφάνωμα κόμᾳ πέμπων*. p. 7, 2 *Ἀλκμανιδᾶν γένει κρηπῖδ᾽ ἀοιδᾶν ἵπποισι βαλέσθαι*.

4. Interdum apud poetas dativus transit in notationem eorum hominum, inter quos aliquid factum est, ut apud Homerum *τοῖσιν ἀνέστα*, alia. Ita Pindarus dixit ol. 13, 61 *τοῖσι δ᾽ ἐξεύχετο (Γλαῦκος) coram iis gloriatus est*. p. 4, 65 *παισὶ τούτοις ὄγδοον θάλλει μέρος Ἀρκεσίλας in hac prole floret octavus*.

Quibus tertius locus adnumerandus videtur i. 3, 54: (*Αἴας*) *μομφὰν ἔχει παίδεσσιν Ἑλλάνων vituperationem habet inter Graecos*; quae explicatio (cf. Schol. et Friederichs. Pind. Stud. pag. 94) et cum linguae Graecae usu et cum sententia loci multo melius convenit quam altera (Boeckhii et aliorum), e qua *μομφὰν ἔχει* vertitur: *invidiam facit Graecis* (quod esset *παρέχει*).

5. Maxime familiaris Pindarico sermoni est is quoque dativi usus, quo declaratur, ad certos quosdam homines sen-

tentiam pertinere (Krueger: Dativ der Relation): n. 5, 18 *καὶ τὸ σιγᾶν πολλάκις ἐστὶ σοφώτατον ἀνθρώπῳ νοῆσαι.* ol. 1, 35 *ἀνδρὶ ἐοικός.* ol. 3, 44 *τὸ πόρσω δ' ἐστὶ σοφοῖς ἄβατον κἀσόφοις.* p. 9, 78 *ἀκοὰ σοφοῖς.* ol. 2, 85 *φωνᾶντα συνετοῖσιν.* i. 1, 45 (39) *κοῦφα δόσις ἀνδρὶ σοφῷ.* frgm. 76 *γλυκὺ δ' ἀπείροισι πόλεμος.* frgm. 257 *πιστὸν δ' ἀπίστοις οὐδέν.* p. 11, 26 *τὸ δὲ νέαις ἀλόχοις ἔχθιστον ἀμβλάκιον in juvenilibus uxoribus hoc maxime odiosum est vitium.*

Saepe participia ita posita sunt, qui usus, apud alios rarus, breviloquentiae Pindaricae optime congruere videtur: ol. 7, 53 *δαέντι δὲ καὶ σοφία μείζων ἄδολος τελέθει.* ol. 8, 59 *τὸ διδάξασθαι — εἰδότι ῥᾴτερον.* ol. 11, 90 *θνάσκοντι στυγερώτατος.* p. 10, 67 *πειρῶντι χρυσὸς ἐν βασάνῳ πρέπει.* n. 10, 78 *οἴχεται τιμὰ φίλων τατωμένῳ φωτί.* frgm. 59 *τί κάλλιον ἀρχομένοισιν ἢ καταπαυομένοισιν*; qui participiorum usus interdum non ita multum ab absoluto dativo abest, cf. §. 13, 3.

Haud raro similiter dativus nominis a Pindaro conjungitur cum adjectivo verbali: p. 10, 22 *ὑμνητὸς σοφοῖς.* 27 *οὐκ ἀμβατὸς αὐτῷ.* n. 8, 45 *τὸ δ' — οὔ μοι δυνατόν.* i. 7, 15 *ἰατὰ δ' ἐστὶ βροτοῖς καὶ τά.* frgm. 58, 6 *φορητὰ κυμάτεσσιν.*

Etiam infinitivo persona ea, cui agenda est res, per dativum additur: i. 3, 57 *ἔφρασε λοιποῖς ἀθύρειν.* p. 11, 26 *καλύψαι τ' ἀμάχανον ἀλλοτρίαισι γλώσσαις.*

Cui structurae cognatus videtur dativus personae verbis passivis additus, cujus sunt exempla Pindarica: i. 4, 44 (48) *πόλις ὀρθωθεῖσα ναύταις servata a classiariis.* i. 6, 23 *φλέγεται ἰοβοστρύχοισι Μοίσαις.* frgm. 171, 1 *τίς φέρεται μόχθος ἄμμιν.* (Aliter explico dativum *σφίν* ol. 6, 76; cf. §. 6, 3.)

Addo verborum eorum, quibus dominandi significatio est, passiva: p. 1, 73 *δαμασθῆναι.* ol. 12, 3 *κυβερνᾶσθαι.* ol. 8, 30 *ταμεύεσθαι.* ol. 8, 45 *ἄρξασθαι* sensu passivo positum cum dativo personae; et *πείθεσθαι κείνου ἀναξίαις* n. 8, 10 (cf. ol. 13, 76. p. 4, 200. i. 3, 90).

Etiam activis verbis interdum additur dativus, indicans personam in actione occupatam, ut verbo *δέχεσθαι* da-

tivus personae offerentis p. 4, 24. 8, 5. i. 5, 4. saepe, quod inde ab Homero (O, 88) haud raro legitur apud poetas; et similiter dictum est i. 4, 62 λάμβανέ οἱ στέφανον *accipe ab eo coronam.*

6. Inter verba, quae praeter ea, quorum jam mentionem feci, apud Pindarum cum dativo conjunguntur, memoranda videntur verba loquendi et imperandi nonnulla: λέγειν ol. 8, 43, saepe. μανύειν i. 7, 55; semel ὀτρύνω p. 4, 40 ὤτρυνόν νιν λυσιπόνοις θεραπόντεσσι φυλάξαι, quod singulare videtur, quum κέλομαι et κελεύω ubique a Pindaro cum accusativo et infinitivo constructa sint; ἐπαινέω frgm. 173, 3: τῷ παρεόντι ἐπανήσαις, ubi ei verbo assentiendi notio inest; εὔχομαι p. 8, 68? cf. §. 6, 3. Accusativus et infinitivus conjunctus est cum eo verbo p. 5, 116 (124), alibi.

Ex iis praeterea verbis, quae concursum aliquem vel necessitudinem quandam rerum significant, memoranda videntur cum dativo conjuncta: μάρνασθαι frgm. 24, 1 (cum praep. ἐν p. 2, 65). παλαίω p. 9, 27. n. 8, 27. προςπαλαίω p. 4, 290. ἐρίζω n. 8, 22. ἐρείδεσθαι ναυαγίαις i. 1, 36. ἀντιάω i. 5, 15. ὑπαντιάζω p. 8, 11 (cum acc. p. 5, 41). ἀρήγω n. 1, 49. (Sed μερίμναις ol. 1, 106, cum adj. ἐπίτροπος conjungendum videtur, non cum verbo μήδεται).

Verba dominandi: βασιλεύω p. 10, 3. ὑπακούειν ol. 3, 24. ἀπιθεῖν p. 4, 36; sed p. 3, 70 Συρακόσσαισι νέμει βασιλεὺς et in eodem carmine v. 4 ἄρχειν βάσσαισι Παλίου dativi locum indicare videntur. — ἁγέομαι cum dat. personae, gen. rei p. 4, 248.

Res ad aliquam partem conversa sive inclinata per dativum additur verbo κλίνεσθαι n. 4, 15: τῷδε μέλει κλιθείς. ol. 1, 92 Ἀλφεοῦ πόρῳ κλιθεῖσα *adjacens ad Alpheum*, et similibus: p. 10, 51 ἄγκυραν ἔρεισον χθονί. i. 5, 41 ἀνατείνας οὐρανῷ χεῖρας (cf. Il. Δ 523: χεῖρε φίλοις ἑτάροισι πετάσσας); et, quod jam ad dativum loci paene attingit, ol. 6, 56 Ἀλφεῷ καταβὰς μέσσῳ (cf. ε 374 ἁλὶ κάππεσε).

7. Conjunctionem denique rerum saepissime indicat dativus apud Pindarum, conjunctus et cum verbis et cum adjectivis et cum adverbiis. — Imprimis memoranda sunt verba tangendi, quae a Pindaro non solum cum genetivo, sed etiam

cum dativo conjunguntur. Qui usus inde fluxisse videtur, quod ea verba interdum transeunt in notionem conjunctionis cum aliqua re, ex assequendo ortae, ut n. 8, 36 κελεύθοις ἁπλόαις ζωᾶς ἐφαπτοίμαν *sit mihi simplex vitae iter*; p. 4, 296 ἀσυχίᾳ θιγέμεν *cum securitate vivere*, ubi dativum positum vides; duobus vero locis, ubi experiendi significatio praevalet, genetivus exstat: ol. 6, 35 ἔνθα πρῶτον χρυσεᾶς ἔψαυσ᾽ Ἀφροδίτας. i. 1, 18 θίγον πλείστων ἀγώνων. Sed id significationis discrimen non ubique servatum est, et plerumque Pindarus promiscue usus est genetivo et dativo; libere igitur (cf. §. 14, 1. 2) eligere ei contigit inter varias constructiones, quarum severiore Atticorum scriptorum usu unam tantum servatam et quasi fixam videmus.

Singuli loci sunt: ψαύω cum gen. ol. 6, 35. n. 5, 42. cum dat. p. 9, 120; item ποτιψαύω sensu activo frgm. 86. Praeter Pindarum recentiores tantum scriptores (ut Quintus Smyrnaeus VIII, 349) hoc verbum cum dativo conjunxerunt. — ἅπτομαι cum gen. ol. 3, 43. p. 3, 29. n. 8, 14. 22. cum dat. p. 10, 28. n. 8, 36. i. 3, 30. — ἐφάπτομαι cum gen. ol. 9, 12. p. 9, 11. n. 9, 47. p. 8, 60.[1]) cum dat. ol. 1, 86. — συνάπτω cum dat. frgm. 22 ed. Schneidewin.: Μυρτώῳ συνᾶψαν. — θιγγάνω cum gen. i. 1, 8. 18. cum dat. p. 4, 296. p. 8, 24. p. 9, 42. n. 4, 35 νεομηνίᾳ θιγέμεν, ubi Boeckhius νεομηνίᾳ dativum temporis esse censet. — ἐπικίρω cum dat. p. 10, 21 (cum gen. ol. 6, 7?). — ἐφεζόμενοι significatione propria cum gen. n. 4, 67. — ἐφίζοισα translatum cum dat. n. 8, 2.

Praeterea notavi verba cum dativo conjuncta: ὁμιλέω saepe; ἁρμόζω p. 9, 117. n. 9, 78. i. 6, 39. ἐναρμόζω ol. 3, 5. συναρμόζω n. 10, 12. ἀραρίσκω i. 2, 19. ἁνδάνω saepe. ἕπω i. 3, 4. ἕπομαι n. 11, 43, saepe; sed cum acc. n. 10, 37. πελάζω ol. 1, 78. κοινάζω p. 4, 115. κοινάζομαι n. 3,

1) μαντευμάτων ἐφάψατο συγγόνοισι τέχναις. Unice vera mihi videtur esse Friederichsi explicatio (Pind. Stud. 53), qui μαντευμάτων conjungit cum ἐφάψατο: *Alcmaeo assecutus est vaticinia* (i. e. *assecutus est ea, quae ei patris* (v. 46) *pollicita erant vaticinia*) *artibus ingenitis* (= φυᾷ. v. 44. n. 1, 28). Qua explicatione liberatur Alcmaeo vi vaticinandi, quam mirum in modum ei tribuerunt commentatores.

12. *διαπλέκω* n. 7, 99. *μετέχω* cum dat. personae, gen. rei p. 2, 83.

Deinde memoranda sunt *μίγνυμι* n. 1, 18. 56. p. 2, 45. p. 3, 14. 5, 18. n. 2, 22. i. 3, 3. *ζεύγνυμι* i. 6, 18. n. 7, 6. *κεράννυμι* ol. 11, 104. p. 5, 2. 10, 41. (i. 4, 22?) *προς-μίγνυμι* ol. 1, 22. *συμμίγνυμι* p. 9, 72. *ἐπιμίγνυμι* n. 9, 31; interdum vero cum iis et similibus verbis Pindarus rem eam, quae cum alia conjungitur, per praepositionem *ἐν* construit, ut jam circumdare eam et cingere videatur. Ita legimus *μίγνυμι ἐν* ol. 1, 90. p. 4, 251. i. 2, 29 (semel cum praep. *σύν* n. 3, 75). *ἐμπίνω ἐν* frgm. 77, 1 *ἐνέπισε κεκραμένʼ ἐν αἵματι. ἀραρότα ἐν ἅπαντι κράτει* ol. 11, 82. (*ἐπικύρσαις — ἐν ἀοιδαῖς*? ol. 6, 7.)

Denique notissimus est dativus appositus verbis compositis cum praep. *ἀντί*, *ἐν*, *ἐπί*, *παρά*, *σύν*, *ὑπέρ*, *ὑπό* (*ὑφίστημι* ol. 6, 1), quae enumerare longum est.

Adjectiva ea, quae conjunctionem quandam rerum significant, Pindarus plerumque cum dativo nominum conjungit, interdum substantivorum in modum cum genetivo; cum iis vero, quibus aversionis sive inimicitiae notio inest, genetivum multo saepius conjunctum videmus (cf. §. 5, 10). *ἅμερος* cum dat. ol. 13, 2 *οἶκον ἅμερον ἀστοῖς*. *φίλος* cum dat. n. 4, 22. i. 1, 5. frgm. 49, 2. 127, 2. 246. cum gen. p. 3, 5. 9, 96. n. 5, 8 (sed *πολέμιος* cum gen. p. 1, 15. *ἐχθρός* ol. 7, 90). *κοινός* cum dat. p. 6, 15. n. 4, 12. i. 5, 69. *συνάορος* cum dat. n. 4, 5. *σύμπειρος* n. 7, 10. *ἔφεδρος* n. 4, 96; *πάρεδρον ἑτοῖμον αὐτῷ* ol. 2, 84 (76); alibi cum gen. *ἀντίος* cum dat. n. 1, 25. *ἐναντίον* cum gen. frgm. 253. *ἀντία* cum gen. ol. 9, 29. *ὅμοιος* ubique cum dat. item *ὁμόδαμος* i. 1, 30; sed *ὁμοθά-λαμος* p. 11, 2 cum gen. *ὁμοκλῆς* cum dat. frgm. 70, 5; sed cum gen. *ὁμώνυμος* frgm. 85. *ἐπώνυμος* p. 1, 30. i. 5, 53. *ὁμόφοιτος* n. 8, 33. *ἐπιχώριος* cum gen. p. 4, 80. *ἱερός* cum dat. ol. 3, 30 *Ὀρθωσίᾳ ἔγραψεν ἱράν*. *ἴσος* ubique cum dat.; item *πρόςφορος*. *ἐναλίγκιος* cum dat. i. 7, 37; dubium est *ἴκελος* p. 2, 77 *ὀργαῖς ἀτενὲς ἀλωπέκων ἴκελοι*, ubi tamen ad dativum *ὀργαῖς* id adjectivum referre malim. Nonnulla adjectiva, quae in Attico sermone cum dativo conjunguntur,

nunquam apud Pindarum cum nominis casu leguntur, ut ἴδιος, οἰκεῖος, ἄλλος, ὁ αὐτός.

Inter adverbia, quae conjunctionem indicant, conjunguntur cum dat. ἔνδον n. 3, 52. 7, 44 (cum gen. ol. 2, 84. 7, 62. p. 11, 64); μίγα p. 4, 113; ἄγχι n. 6, 9; ἀγχοῦ n. 9, 40 (sed ἄγχιστα cum gen. i. 2, 10. n. 9, 55). Singulare est πέλας cum dativo postposito ol. 7, 19; anteposito n. 11, 4 (cf. Aeschyl. suppl. 194). τύμβῳ σχεδόν n. 10, 66.

Denique, quod audentius videtur, etiam substantivum conjunctionem significans conjunctum est cum dativo p. 1, 98 οὐδέ νιν φόρμιγγες — κοινωνίαν μαλθακὰν παίδων ὀάροισι δέκονται (cf. n. 3, 11 κείνων ὀάροις κοινώσομαι).

II. 8. Venio nunc ad instrumentalem dativi usum, de quo ante omnia memorandum est, Pindarum haud raro, ubi nos e duabus rebus alteram alterius causam esse dicimus, spatii tantum vel temporis conjunctionem praepositionibus denotare. Ita saepe ἐν et σύν positae sunt, ubi dativum instrumentalem expectaveris, velut n. 11, 17 ἐν λόγοις ἀστῶν ἀγαθοῖσιν αἰνεῖσθαι. 28 ἀνδησάμενοι κόμαν ἐν ἔρνεσι. n. 10, 48 σὺν ποδῶν χειρῶν τε νικᾶσαι σθένει. — Nec minus ἀμφί, περί, ἐπί nonnunquam causam indicant, cujus usus Pindarici exempla collegit Bossler, De praepositionum usu apud Pindarum. Darmstadii 1862.

Saepissime vero dativus indicat instrumentum quo aliquid perficitur, et proprio sensu, ut ol. 1, 49 μαχαίρᾳ τάμον. n. 10, 35 γαίᾳ καυθείσᾳ πυρὶ καρπὸς ἐλαίας ἔμολεν, ubi vasa, in quibus oleum portatur, dicuntur perfecisse deportationem; et translata significatione, velut ol. 2, 53: ἀρεταῖς δαιδάλλειν, alia.

Saepe tales dativi sine verbo cum nominibus conjuncta sunt, cf. §. 14, 3.

Praeterea — missa exemplorum cum vulgari usu congruentium copia — commemorabo, saepe cum verbis intransitivis dativum instrumentalem ita conjungi, ut nova quadam notione addita vel ipsius verbi significatione aucta et explicata gravior reddatur oratio; cujus consuetudinis exempla sunt: ol. 11, 65 ποσσὶ τρέχων. n. 8, 19 ἵσταμαι ποσσὶ κούφοις. (sed n. 1, 50 ποσσὶν ἄπεπλος ὀρούσαισα contra Boeckhium

et Dissenum dativum cum adjectivo ἄπεπλος conjungo). n. 7, 66 ὄμματι δέρκομαι λαμπρόν. ol. 7, 37 ἀλάλαξεν ὑπερμακέϊ βοᾷ. p. 3, 102 πυρὶ καιόμενος. i. 6, 5 νίφοντα χρυσῷ (sed cum simili verbo accusativus conjunctus est ol. 7, 100: ὗσε χρυσόν). p. 4, 179 κεχλαδόντες ἥβᾳ. i. 3, 36 ῥόδοις ἄνθεϊν. i. 6, 49 χρυσέᾳ κόμᾳ θάλλων. p. 11, 52 μακρῷ ὄλβῳ τεθηλότα. i. 3, 22 αἶσι (ἀρεταῖσι) θάλλοντες; et similiter dictum puto p. 4, 65 ὥτε φοινικανθέμου ἦρος ἀκμᾷ — θάλλει Ἀρκεσίλας, ubi ἀκμᾷ ἦρος non tempus significare existimo, sed ea verba aeque atque in praecedentibus exemplis dativos ῥόδοις et κόμᾳ cum verbo θάλλει conjungo.

9. Causam, quod in Homericis carminibus raro factum est, dativo Pindarus haud raro denotavit: p. 4, 27 μήδεσιν ἀμοῖς. p. 4, 233 πῦρ νιν οὐκ ἐόλει ξείνας ἐφετμαῖς *propter praecepta.* p. 10, 11 τεοῖς μήδεσιν. ol. 9, 84 προξενίᾳ ἀρετᾷ τ' ἦλθον. i. 5, 70 ξένων εὐεργεσίαις ἀγαπᾶται = *propter beneficia erga hospites.* p. 3, 13 ἀμπλακίαισι φρενῶν. ol. 11, 24 ἀβουλίᾳ. ol. 1, 56 κόρῳ ἕλεν ἄταν *propter superbiam.* ol. 3, 28 ἀγγελίαις Εὐρυσθέος *jussu Eurysthei.* p. 8, 60 συγγόνοισι τέχναις. n. 10, 5 ταῖς Ἐπάφου παλάμαις. n. 10, 65 παλάμαις Διός. p. 2, 75 ψιθύρων παλάμαις, quod formulae in modum dictum est pro solo: *per obtrectatores.* p. 1, 48 θεῶν παλάμαις. ol. 9, 52 Ζηνὸς τέχναις. p. 8, 53 τύχᾳ θεῶν. i. 3, 37 δαιμόνον βουλαῖς. ol. 9, 42 Διὸς αἴσᾳ. ol. 8, 67 τύχᾳ δαίμονος. p. 2, 21 θεῶν ἐφετμαῖς.

Causae in modum saepissime dativus opponitur et adjectivis et verbis, indicans rem, qua quis excellit sive in qua comparatur cum aliis [1]): i. 3, 13 ἱπποδρομίᾳ κρατέων. ol. 8, 20 πάλᾳ κρατέων. n. 3, 53 ποσσὶ κράτεσκεν. p. 4, 245 πάχει μάκει τε ναῦν κρατεῖ. n. 11, 13 μορφᾷ παραμείβεσθαι ἄλλων (Boeckh.: μορφάν). i. 7, 25 ἀρίστευον — ἀνορέᾳ. ol. 9, 65 ὑπέρφατον μορφᾷ τε καὶ ἔργοισι. n. 3, 45 ἴσα

1) Quod ad **originem** constructionis attinet, multis locis dubitari potest, utrum is dativi usus ex instrumentali significatione ortus sit an e locali; sed in consuetudine et Pindarici et communis Graecorum sermonis adeo propinquae eae locutiones mihi videbantur instrumentali dativo, ut hoc loco eas enumerandas esse censerem. cf. §. 12, 1.

ἀνέμοις μάχᾳ. n. 7, 54 *φυᾷ δὲ πάντες διαφέρομεν.* ol. 1, 112 *βέλος καρτερώτατον ἀλκᾷ.* ol. 13, 52 *πυκνότατον παλάμαις.* nem. 8, 8 *χειρὶ καὶ βουλαῖς ἄριστος.* ol. 1, 116 *πρόφαντον σοφίᾳ.* 87 *πτεροῖσιν ἀκάμαντας ἵππους.* n. 1, 27 *πράσσει ἔργῳ μὲν σθένος, βουλαῖσι δὲ φρήν*; et liberius etiam cum pronomine demonstrativo conjunctus est talis dativus ol. 4, 24 *οὗτος ἐγὼ ταχύτατι talis ego sum celeritate mea.*

In his et similibus exemplis dativus eadem significatione positus est quam accusativus quem dicunt respectivus; quem promiscue usurpatum vides cum dativo — ut mos est Pindaro, in paribus sententiarum partibus variare verborum constructionem, cf. §. 14, 2 — ol. 2, 94 *εὐεργέταν πραπίσι — ἀφθονέστερον χέρα.* i. 3, 63 *τόλμᾳ εἰκὼς θυμὸν ἐριβρεμετᾶν θηρᾶ λεόντων, μῆτιν δ' ἀλώπηξ.*

Ita positus est dativus etiam p. 2, 77: *κέρδει δὲ — τί μάλα τοῦτο κεραλέον τελέθει quod ad lucrum attinet — quidnam lucri est in ea re?* — quod tenendum videtur contra Huschkii conjecturam *κερδοῖ* (Friederichs. Pind. Stud. pag. 28). — Tres praeterea similes dativos offeram: p. 5, 62 *ὄφρα μὴ ταμίᾳ Κυράνας ἀτελὴς γένοιτο μαντεύμασιν — in vaticiniis.* n. 7, 16 *εὕρηται ἄποινα μόχθων κλυταῖς ἀοιδαῖς*, ubi certamina ipsa, quae sunt laborum levamina, sicut instrumenta levandi cogitantur; cum quo loco comparari potest i. 5, 8 *εἴη δὲ — σωτῆρι Ὀλυμπίῳ σπένδειν μελιφθόγγοις ἀοιδαῖς.*

10. Haud raro res, quae conjunctae sunt cum aliqua actione, per dativum instrumentalem construuntur cum verbo, quasi instrumenta fuerint agendi; quod plerumque factum est in verbis movendi: p. 4, 79 *ἵκετο αἰχμαῖσιν διδυμαῖσιν.* n. 10, 69 *ἐφορμαθεὶς ἄκοντι θοῷ.* p. 11, 35 *γέροντα — ἐξίκετο νέᾳ κεφαλᾷ*, ubi haud necessaria est Schneidewini mutatio: *νέα κεφαλά.*

Ita interpretandum esse etiam dativum qui legitur i. 6, 7 *ἄλοχον μετῆλθεν Ἡρακλέοις γοναῖς* docet comparatio alius loci n. 10, 17, ubi de eadem re dictum est *σπέρμα φέρων Ἡρακλέος, cum semine Heracleo.* ol. 9, 93 *διήρχετο κύκλον ὅσσᾳ βοᾷ.* 7, 37 *ὑπερμάκει βοᾷ.* p. 5, 30 *γέρας ἀμφέβαλε τεαῖσι*

κόμαις ἀκηράτοις ἁνίοις. ol. 11, 76 *ἀείδετο τέμενος τερπναῖσι θαλίαις inter grata convivia.*

11. Multis locis apud Pindarum ex instrumentali usu dativus prorsus in adverbii notionem transiit. Ita leguntur saepe cum adjectivis conjuncti dativi nominum *νόος*, *φρήν*, *γνώμη*, similium, ut p. 8, 68. p. 5, 41 *ἑκόντι νόῳ* = *ἑκουσίως*. ol. 2, 92 *ἀλαθεῖ νόῳ*. frgm. 168 *νηλεῖ νόῳ*. n. 7, 88 *νόῳ ἀτενέϊ*. p. 2, 57 *ἐλευθέρᾳ φρενί*. ol. 6, 90 *ἀλαθέσι λόγοις*. p. 2, 61 *χαύνᾳ πραπίδι*. ol. 6, 37 *ὀξείᾳ μελέτᾳ studiose.* p. 1, 55 *ἀσθενεῖ χρωτὶ βαίνων*. p. 3, 103 *ἐλευθέρῳ στόλῳ libero cursu.* n. 6, 57 *ἑκόντι νώτῳ*. ol. 4, 16 *καθαρᾷ γνώμᾳ*. i. 1, 44 *φθονεραῖσι γνώμαις*. ol. 3, 41 *εὐσεβεῖ γνώμᾳ*. ol. 5, 2 *καρδίᾳ γελανεῖ δέκευ δῶρα*. frgm. 96, 1 *ὀλβίᾳ αἴσᾳ* = *ὀλβίως*.

Quin etiam adjectivum loci ita cum dativo nominis conjunctum est p. 5, 102 *ἀκούοντι χθονίᾳ φρενὶ σφὸν ὄλβον*, ubi agitur de parentibus *in Orco* audientibus famam filii.

Etiam sine adjectivo dativi nominum in adverbiorum modum transeunt: n. 10, 25 *τύχα μολών*; et eodem modo cum Mommseno (Pindaros pag. 80) legere malim n. 7, 11 *εἰ δὲ τύχᾳ τις ἔρδων*, omisso *ἐστί*, cf. §. 14, 3. (*σὺν τύχᾳ* p. 2, 56. n. 5, 48. 6, 24. i. 7, 67.) ol. 2, 96 *οὐ δίκᾳ συναντόμενος non merito oblatus* (saepe *σὺν δίκᾳ* (p. 9, 96) et *ἐν δίκᾳ* ol. 6, 12. p. 5, 14). p. 4, 288 *ἀνάγκᾳ* (saepe *σὺν ἀνάγκᾳ* p. 1, 98 alibi). p. 3, 82 *κόσμῳ φέρειν* = *κοσμίως*. p. 6, 47 *νόῳ δὲ πλοῦτον ἄγει prudenter.* i. 4, 55 (68) *χερσὶ δεξιόν, νόῳ ἀντίπαλον.* i. 3, 68 *ἀκμᾷ συμβαλεῖν cum vi.* n. 1, 25 *μάρνασθαι φυᾷ secundum suam indolem certare.*

Similiter bis *ἀρετᾷ* usurpatum videtur: ol. 11, 20 *φύντ' ἀρετᾷ natum cum virtute* (non, quod interpretes volunt: *natum ad virtutem*). i. 1, 41 *εἰ ἀρετᾷ κατάκειται*, ubi fortasse aeque atque in priore loco *ἀρετᾷ* adverbii in modum appositum est ad verbum, ut sententia sit: *si cum virtute vitam agit*; quae structura, quamvis insolens, a Pindarico sermone non abhorrere mihi videtur magisque placet quam Boeckhii explicatio, qui dativum pendere putat de verbo *κατάκειται*, constructo aeque atque *ἐπίκειμαι*, cujus structurae aliud exemplum non novi.

Addendum est e Mommseni scriptura ol. 1, 89 *ἀρεταῖσι μεμαότας*.

Nonnullorum etiam adjectivorum genus femininum dativo casu adverbiorum in modum positum est: ol. 9, 110 *δαιμονίᾳ cum deorum auxilio* (ut *B* 367 *θεσπεσίῃ*). ol. 8, 23. n. 8, 20. *πολλᾷ multifarie*. p. 11, 42 *ἄλλᾳ*. frgm. 239, 3 *ἴσᾳ*.

III. Restat dativus locum et tempus indicans.

12. Locativi veteris formam a dativo separatam servavit Pindarus in vocibus *Ἰσθμοῖ* et *Πυθοῖ* [1]); alibi dativus ejus casus vices suscepit; quare saepissime, praesertim in victoriarum locis memorandis, urbium nomina dativo casu posita locum, in quo aliquid gestum est, indicant (etiam cum adjectivo conjuncta: p. 7, 11 *Πυθῶνι δίᾳ*). — Interdum tales dativi omisso verbo cum solis nominibus conjuncta sunt, cf. §. 14, 3.

Saepe vero etiam praepositione *ἐν* usus est Pindarus, haud raro promiscue cum nudo dativo: ol. 13, 98 *Ἰσθμοῖ τὰ τ᾽ ἐν Νεμέᾳ*. p. 5, 70 *καὶ Λακεδαίμονι — ἐν Ἄργει τε καὶ ζαθέᾳ Πύλῳ*. [2])

Etiam terrae nomina interdum nudo dativo posita sunt: n. 4, 51 *Θέτις κρατεῖ Φθίᾳ· Νεοπτόλεμος δ᾽ Ἀπείρῳ διαπρυσίᾳ*. n. 10, 5 *Αἰγύπτῳ τὰ κατῴκισεν ἄστη*; et montis nomen p. 1, 39 *Παρνασῷ* e scriptura Mommseni.

Multo saepius quam Attici scriptores etiam in appellativis substantivis usus est dativo locali Pindarus: p. 5, 31 *ὕδατι Κασταλίας ξενωθείς*. p. 11, 63 *ἕδραισι Θεράπνας*. ol. 7, 87 *νώτοισιν Ἀταβυρίου μεδέων*. p. 3, 4 *ἄρχειν βάσσαισι Παλίου*. n. 6, 29 *μυχῷ Ἑλλάδος ἁπάσας*. ol. 11, 33 *μυχοῖς ἥμενον Ἄλιδος* (p. 8, 79 *μυχῷ τ᾽ ἐν Μαραθῶνος*). n. 10, 58 *οἰκεῖν οὐρανῷ*. p. 4, 244 *κεῖτο λόχμᾳ*. ol. 11, 30 *λόχμαισι δοκεύσαις*. p. 3, 26 *εὐνάσθη λέκτροισι ξένον*. ol. 6, 31 *κρύψε δὲ παρθενίαν ὠδῖνα κόλποις*. p. 9, 82

1) E locativis orta videntur praeterea adverbia nonnulla, ut *χαμαί* ol. 6, 45. *ἀβοατί* n. 8, 10. *ἐγχονητί* n. 3, 35. *οἴκοι* nonnunquam, alia.

2) Bossler in libro memorato pag. 85 his et similibus locis praepositionem ad utrumque nomen pertinere censet, quod in omnibus ejusmodi exemplis factum esse nego (cf. de variato sermone Pindari §. 14, 2); quamvis de nonnullis dubitari posse concedam.

κρύψαν σάματι. n. 4, 40 κενεὰν γνώμαν σκότῳ κυλίνδει (ol. 1, 83 ἐν σκότει); in nonnullis eorum locorum etiam de instrumentali dativi significatione cogitari potest. [1])

Praeterea loci significationem statuo in duobus dativis: p. 3, 36 πολλὰν δ' ὄρει πῦρ ἐξ ἑνὸς σπέρματος ἐνθορὸν ἀΐστωσεν ὕλαν; nam si ὄρει conjungitur cum verbo ἐνθορόν, minus apta videtur sententia, quum non in montem, sed in silvam dicatur salire scintilla. n. 9, 43 πολλὰ μὲν ἐν κονίᾳ χέρσῳ, τὰ δὲ γείτονι πόντῳ φάσομαι, ubi haud necessarium puto praepositionem ἐν cum utroque dativo conjungere, quod voluit Bossler.

Memoranda videntur praeterea: p. 1, 40 ἐθελήσαις ταῦτα νόῳ τιθέμεν. p. 3, 103 νόῳ ἔχειν. i. 1, 40 νόῳ προμάθειαν φέρειν. n. 10, 89 οὐ γνώμᾳ διπλόαν θέτο βουλάν, cf. Homericum illud ἐν φρεσὶ θέσθαι.

13. Temporalis dativus non ita saepe invenitur apud Pindarum et certis quibusdam locutionibus plerumque definitus videtur; frequentior est praepositionum usus.

Singulare est χρόνῳ nude positum (nos: *mit der Zeit*) ol. 11, 85. p. 4, 78. p. 11, 32 (sed ἐν χρόνῳ p. 4, 291. 3, 96. p. 8, 15). — Cum adjectivis conjunctum: ol. 6, 56 χρόνῳ σύμπαντι. p. 4, 55 χρόνῳ ὑστέρῳ (p. 10, 17 ὑστέραισιν ἐν ἁμέραις). ol. 1, 43 δευτέρῳ χρόνῳ. ol. 2, 37 ἄλλῳ χρόνῳ. (ἐν παντὶ χρόνῳ ol. 6, 36; ἐν μικρῷ χρόνῳ ol. 12, 12).

Simile est n. 11, 40 οὐ πάσαις ἐτέων περόδοις. νυκτί sine praepositione positum est ol. 1, 2 (p. 4, 130?); alibi semper ἐν νυκτί legitur, et eodem modo ἐν ὄρφνᾳ ol. 1, 71. ἁμέρα vero nudo dativo positum est p. 1, 22 ἁμέραισι μὲν (v. 23 ἀλλ' ἐν ὄρφναις). i. 3, 18 κυλινδομέναις ἁμέραις. n. 9, 42 τὰ δ' ἄλλαις ἁμέραις. (ol. 1, 6 ἐν ἁμέρᾳ).

Aeque atque p. 1, 22 variatur structura, ubi anni tempora memorantur, i. 2, 41 θερείαις μὲν — ἐν δὲ χειμῶνι.

Denique e Mommseni scriptura addendum est p. 1, 35 τελευτᾷ postremo (God. Hermann.: ἐν καὶ τελευτᾷ. Boeckh.: τελευτάν).

1) Dubitari potest de loco n. 5, 53 προθύροισιν Αἰακοῦ φέρων στεφανώματα, ubi dativum cum verbo φέρειν conjungere malim.

Certum quoddam tempus memoratur dativo ter tantum: ol. 5, 5 ἑορταῖς θεῶν μεγίσταις. n. 2, 24 Διὸς ἀγῶνι. i. 6, 50 πόρε, Λοξία, τεαῖσιν ἁμίλλαισιν, — στέφανον, ubi etiam de instrumentali dativo cogitari potest.

Casuum usu descripto pauca addam de **suffixis** cum nominibus compositis.

Cum suffixo — θεν permulta composita sunt et nomina propria et appellativa apud Pindarum; e quibus cum praepositionibus conjunctum vides: n. 3, 84 Νεμέας Ἐπιδαυρόθεν τ᾽ ἄπο καὶ Μεγάρων; genetivus nominis appositus est tali nomini: ol. 7, 24 ματρόθεν Ἀστυδαμείας *ex matre Astydamia*; et, quod etiam memorabilius videtur, genetivus nominis pendet de nomine cum — θεν composito: ol. 9, 55 ἀρχᾶθεν Ἰαπετονίδος φύτλας, aeque ac si dictum esset ἐξ ἀρχᾶς = *ab initio gentis Japetoniae.*

Prorsus in genetivi notionem transiit σέθεν, ut etiam apud Homerum; quod cum praep. conjunctum vides n. 7, 2 ἄνευ σέθεν. p. 1, 88 πὰρ σέθεν. i. 3, 5 ἐκ σέθεν; genetivi possessivi vices tenens n. 3, 5 σέθεν ὄπα. i. 1, 55 σέθεν παῖδας. ol. 5, 19 ἱκέτας σέθεν. ol. 1, 51. 6, 81. 8, 45.

Interdum tamen ea vox vestigia localis significationis servasse videtur: n. 1, 4 σέθεν ἁδυεπὴς ὕμνος ὁρμᾶται *a te proficitur hymnus.* i. 6, 15 Αἰγεῖδαι σέθεν ἔκγονοι *a te originem ducentes.*

Interdum in suffixo — θεν aboluit vis originis, ut omnino locum significaret: p. 8, 65 τὸ δ᾽ οἴκοθεν (= οἴκοι) *domestica.* ol. 13, 99 ἀμφοτέρωθεν ἐσλοῦ = *in utraque parte.* p. 8, 19 Κίρραθεν ἐστεφανωμένον.

Suffixo locali — δε non ita multum usus est Pindarus; notavi: οἴκαδε n. 4, 76. p. 4, 106. ol. 6, 99. Πυθωνάδε ol. 9, 12. 6, 37. Τροιάνδε i. 3, 54.

Postremo memorabo adverbium καναχηδά, quod ex vetusta instrumentalis casus forma ortum non plane vim ejus casus amisisse videtur: n. 8, 15 Λυδίαν μίτραν καναχηδὰ πεποικιλμέναν, quod singulariter sane dictum est pariter ac καναχαῖς πεποικιλμέναν = *cantibus ornatam.*

De casibus cum praepositionibus conjunctis in Pindari carminibus scripsit Bossler: De praepositionum usu apud Pindarum. Darmstadii 1862. Quo in libro quum singularum praepositionum usus diligentissime perscrutatus sit, ego a singularum praepositionum usu recensendo abstinebo, et de universa Pindari consuetudine id solum memorabo — quod Bossler tota quaestione illustravit — Pindarum primarias et simplices praepositionum significationes quam maxime servasse et saepe ita iis usum esse, ut relationibus, qua sensibus percipi possent, quam maxime niteretur oratio; unde fluxisse videtur etiam nonnullarum localium praepositionum usus instrumentalis (§. 6, 8); nec minus usus praepositionis *ἐν* cum verbis *μίγνυμι*, *ζεύγνυμι*, similibus conjunctae (§. 6, 7).

§. 7.

De adjectivorum usu.

Nonnulla praeter ea quae commemoravi de neutris adjectivorum pro substantivis positis (§. 1, 5) et de accusativo adverbiorum in modum usurpato (§. 4, 5) restant dicenda de usu adjectivorum apud Pindarum.

Oxymora sunt ol. 6, 43 *ἐρατᾶς ὠδῖνος*. 46 *ἀμεμφεῖ ἰῷ μελισσᾶν*. p. 2, 40 *καλὸν πῆμα*. frgm. 88, 5 *ψυχρᾷ φλογί*.

Adjectiva a nominibus propriis derivata pro genetivo eorum nominum usurpata sunt: p. 5, 21 *Ἀπολλώνιον ἄθυρμα*. p. 2, 34 *Δεινομένειε παῖ*. p. 8, 19 *Ξενάρκειον υἱόν*. ol. 2, 13 *Κρόνιε παῖ Ῥέας*. ol. 11, 26 *Ποσειδάνιον Κτέατον*. p. 6, 32 *Νεστόρειον ἅρμα*. p. 11, 20 *σὺν Ἀγαμεμνονίᾳ ψυχᾷ*. i. 3, 67 *Ὠαριώνειαν φύσιν*.

Pervulgatus praeterea est Graecorum Romanorumque usus, nonnunquam per adjectiva cum substantivis conjuncta loci temporisve relationes describere, ubi nos adverbiis utimur; exempla sunt Pindarica: p. 9, 62 *ἐπιγουνίδιον καταθηκάμεναι βρέφος*. n. 4, 36 *μέσσον (σε) ἔχει ποντιὰς ἅλμα*. ol. 6, 58 *Ἀλφεῷ μέσσῳ καταβάς*. — *ἐν μέσοις* p. 4, 224. 9, 123. n. 5, 23. i. 7, 32. — ol. 6, 53 *πεμπταῖον γεγεναμένον*. n. 4, 6

ῥῆμα ἐργμάτων χρονιώτερον βιοτεύει. p. 3, 80 *κοῦραι μέλπονται — ἐννύχιαι.* i. 6, 5 *θεὸν μεσονύκτιον νίφοντα.* n. 6, 38 (43) *ἑσπέριος φλέγεν.* p. 4, 238 *ἴυξεν ἔμπας.*

Haud raro adjectiva non conjuncta sunt cum genetivo nominis, sed cum alio nomine, de quo pendet ille genetivus, ut ol. 8, 42 *σὺν τεαῖς χερὸς ἐργασίαις.* 68 *ἐν τέτρασι παίδων γυίοις.* frgm. 150 *δοιὰ βοῶν σώματα.* ol. 12, 13 al. (alia exempla collegit Godofredus pag. 37.).

Adjectiva composita per pleonasmum quendam nonnunquam cum nominibus ita conjuncta sunt, ut altera compositionis parte eadem contineatur significatio quae substantivo, sive similis certe: ol. 5, 19 *νέοικον ἕδραν.* ol. 6, 83 *καλλιρόαισι πνοαῖς.* ol. 3, 20 *διχόμηνις Μήνα.* ol. 13, 65 *χρυσάμπυκα χαλινόν.* ol. 3, 37 *ῥιμφαρμάτου διφρηλασίας.*

Etiam aliis locis liberrime utitur adjectivis compositis Pindarus: p. 5, 39 *ἀρισθάρματον γέρας* = *ἁρμάτων ἀρίστων γέρας.* n. 1, 92 *ὀρθόμαντιν* = *ὀρθῶς μαντευόμενον.* ol. 3, 4 alibi *Ὀλυμπιόνικος ὕμνος* = *ὕμνος νίκης Ὀλυμπιακῆς.* n. 10, 38 *εὐαγὼν τιμά* = *τιμά ἀγαθῶν ἀγώνων.* ol. 2, 20 *παλίγκοτος reversus ab ira.* n. 10, 6 *μονόψαφον ξίφος.*

Comparativus adjectivorum gradus nonnunquam non ita multum a positivi significatione abest (Krueger 49, 6, 2): frgm. 49, 2 *τὸ δὲ μὴ Διΐ φίλτερον σιγῷμι πάμπαν.* p. 4, 155 *μή τι νεώτερον ἀνσταίη κακόν.* cf. ol. 9, 49 (53). frgm. 74. p. 4, 139 *ἐντὶ θνατῶν φρένες ὠκύτεραι* (*justo celeriores*) *κέρδος αἰνῆναι.* n. 11, 22 *ἐλπίδες ὀκνηρότεραι.* ol. 8, 69 *ἀτιμοτέραν γλῶσσαν.* (*ἀγρότερος* ubique.)

Altera comparationis pars omissa est p. 1, 81. ol. 1, 35 *μείων γὰρ αἰτία* (sc. quam si mala dicamus de diis). n. 11, 48 *ἀπροσίκτων δ' ἐρώτων ὀξύτεραι μανίαι* (sc. quam quae adipisci queas).

Per euphemismum quendam dictum est frgm. 109 *πλέον τι λαχών* de Jove: *majus quiddam*, i. e. *summum.*

Postremo enumerabo nonnulla adjectiva, quorum masculina forma etiam pro feminino genere utitur Pindarus contra aliorum usum (asterisco notavi eos locos, ubi metro non violato etiam feminina forma uti poterat poeta): *ἐλαφρός* n. 5, 20 (*ἐλαφρὸν ὁρμάν.* frgm. 126, 1 *ἐλαφράν*). *σιγαλός* p. 9, 92.

δυνατός n. 2, 14. *φοίνιος* *i. 3, 53. *μοιρίδιος* *ol. 9, 26. *αἴσιος* *p. 4, 23. (*συμπόσιος* *n. 9, 48: *ἁσυχίαν — συμπόσιον* e scriptura Boeckhii; rectius videtur, quod recepit Mommsenus, *ἁσυχία.*) *γλυκερώτερος* frgm. 266. *Ἡρακλείοις γοναῖς* *i. 6, 7. *ἅμερος* *n. 8, 3; feminina forma exstat *n. 9, 44. *n. 7, 83. *ἐπίλοιπος* *ol. 1, 33.

Praeterea secundum vulgarem usum *δαίδαλος* n. 4, 59. *ἁσύχιος* p. 9, 22. *ἁσύχιμος* ol. 2, 32; multa adjectiva composita. [1])

E contrario compositi adjectivi femininam formam insolitam affert e Pindaro scholiasta ad X 51: *ὀνομακλύτα* frgm. 279).

§. 8.

De usu pronominum atque articuli.

Inter pronomina demonstrativa *οὗτος* saepissime apud Pindarum usitatum est, minus saepe *ὅδε*, quod e contrario factum est a tragicis, cf. Krueger §. 51, 4, 2. Etiam ad sequentia pertinet *οὗτος* p. 2, 21. frgm. 171, 2 alibi. (*Ὅδε* ter tantum exstat apud Pindarum, §. 14, 1, not.)

Interdum *οὗτος* nomen antea commemoratum cum vi repetit („accedente oratione ad id, quo tendebat“ Dissenus): ol. 3, 24. p. 4, 165.

Pronomen relativum saepe liberiore modo ita ponitur, ut ad nomen omissum et cogitatum tantum referatur, quod in omnibus casibus factum vides: n. 3, 71 *ἐν δὲ πείρᾳ τέλος διαφαίνεται* (*τούτων*), *ὧν τις ἐξοχώτερος γένηται.* i. 3, 27 *ὅσσα δ' ἐπ' ἀνθρώπους ἄηται μαρτύριανδόξας* — (*τούτων*) *ἐπέψαυσαν κατὰ πᾶν τέλος.* p. 2, 92 *πρὶν ὅσα φροντίδι μητίονται τυχεῖν.* n. 7, 32 *τιμὰ δὲ γίγνεται* (*τούτοις*) *ὧν θεὸς αὔξει λόγον.* n. 7, 70 *ἐξομνύω, μὴ ὅρσαι γλῶσσαν* (*τούτῳ*) — *ὃς ἐξέπεμψεν.* cf. ol. 8, 11. 1, 15. i. 2, 4.

---

1) Homerica exempla collegit Ellendt: Ueber den Einfluss des Metrums auf Wortbildung und Wortverbindung bei Homer. Königsberg 1861, pag. 3 ff.

Interdum nomen id, ad quod pertinet pronomen relativum, positum est in ipsa enuntiatione secundaria: i. 6, 39 *φθόνος μὴ θρασσέτω — ὅτι τερπνὸν ἔπειμι* (= *τὸ τερπνὸν, ὅτι*). n. 10, 19 *ὅσων — ἐσλῶν*. p. 10, 28 *ὅσαις ἀγλαΐαις*.

Quibus exemplis addo similes relativarum conjunctionum usus, vulgares apud Atticos, ab Homero quoad ego scio non usurpatos: ol. 10, 1. frgm. 172 *ἔσθ' ὅτε*. frgm. 33, 3 *οὐ γὰρ ἔσθ' ὅπως*. frgm. 51 *ἦν ὅτε*.[1]

Haud raro semel posito pronomine relativo adjunguntur ad antecedentia etiam sequentes sententiae, quamquam constructioni ejus pronominis non subnexae[2]: n. 5, 9 *τάν ποτε — θέσσαντο, πίτναν τὲ εἰς αἰθέρα χεῖρας* (= *und streckten dabei zum Himmel die Hände*). n. 3, 22 *ἥρως ἃς θῆκε, δάμασε δὲ θῆρας*.

Saepe — quod jam ad artem rhetoricam attinet — solo pronomine relativo vel etiam demonstrativo transit Pindarus ad alias res narrandas, vide ol. 1, 25. 13, 13. p. 3, 8. 9, 5. n. 5, 37. 8, 18. al.

Pronomen indefinitivum *τὶς* omissum est i. 1, 40 (36) *εἰ δ' ἀρετᾷ κατάκειται πᾶσαν ὀργάν*.

Plura dicenda erunt de articulo, de quo nonnulla docte disputavit Mommsenus, Mus. Rhen. IV, 543. 550. 561.

1. Pronominis vices apud Pindarum saepe tenet articulus.

a) demonstrativi, nullo addito substantivo: ol. 1, 73 *ὁ δέ*. 75 *τῷ μέν*. 86 *τόν μέν*. ol. 3, 31 *τὰν μεθέπων*. 33 *τῶν νιν γλυκὺς ἵμερος ἔσχεν*. 36 *τοῖς γὰρ ἐπέτραπεν*; similia saepissime. — Etiam p. 3, 89 *λέγονται μὰν βροτῶν ὄλβον ὑπέρτατον οἳ σχεῖν* vocem *οἵ* articuli pluralem esse puto, quamvis ea vox rarissime sine particulis ita posita sit. cf. *ἥ* Aesch. Eum. 7. — Ante pronomen relativum positum est ol. 6, 75 *τοῖς, οἷς*; cum praepositione conjunctum ol. 2, 78 *ἐν τοῖσιν*.

---

1) Hoc loco annotabo *τόθι* relativo sensu positum n. 4, 52; fortasse etiam ol. 7, 77.

2) Homerica exempla collegit Classen, Betrachtungen über homerischen Sprachgebrauch. Frankfurt a. M. 1855—56.

Saepe etiam neutrum articuli ita usurpatur: n. 4, 9 *τό μοι θέμεν — ὕμνον προκώμιον εἴη.* p. 5, 37 *τό σφ' ἔχει — μέλαθρον.* ol. 6, 17 *τό καὶ — πάρεστιν.* i. 7, 15 *καὶ τά.* i. 4, 52 *τά τε καὶ τά.* ol. 2, 53. n. 1, 30 *τῶν τε καὶ τῶν.* n. 7, 55 *ὁ μὲν τὰ, τὰ δ' ἄλλοι*; adverbii in modum ol. 6, 56 *τό* = quamobrem, nec raro *τὰ μὲν* = partim p. 11, 46. *τὰ δὲ* ol. 13, 55. i. 3, 11. al.

b) relativi: p. 2, 50. 12, 31 *ὅ* = qui. ol. 2, 74 *ὁρμοῖσι τῶν.* i. 1, 28 *τῶν ἔρνεσι.* ol. 1, 25 *τοῦ ἐράσσατο.* al. Sed etiam alii articuli usus non desunt apud Pindarum, qui tanta in ea re libertate utitur, ut modo Atticorum fere scriptorum usum in ponendo articulo assequatur, modo ex epicorum more articulum omittat.

2. Haud raro igitur legitur articulus certam quandam rem e pluribus electam significans, qui plerumque demonstrativam quandam vim servavit.

a) Res sive personas praesentes denotat articulus; ita saepe conjungitur cum nominibus et propriis (exempla collegit Mommsenus 550), et appellativis: i. 5, 63. 65 *τὰν Ψαλυχιδᾶν δὲ πάτραν — τόν τε Θεμιστίου οἶκον.* p. 1, 78 *παρὰ δε τὰν εὔυδρον ἀκτὰν Ἱμέρα.* ol. 8, 7 *τῶν δὲ μόχθων ἀμπνοάν ipsorum Olympicorum laborum.* n. 11, 10. 11 *μακαρίζω Ἀρκεσίλαν καὶ τὸ θαητὸν δέμας* = *diese seine herrliche Gestalt.* ol. 1, 8 *ὁ πολύφατος ὕμνος hoc carmen.*

b) Interdum articulus cum quadam vi praedicat aliquid, quod tribuitur alicui rei, velut ol. 1, 37 *τὸν εὐνομώτατον ἐς ἔρανον in epulas non* (ut est opinio vulgi) *cruentas, sed maxime justas et legitimas.* p. 8, 32 *τὸ δ' ἐν ποσί μοι τράχον — χρέος* (oppositum verbis antecedentibus: *πᾶσαν μακραγορίαν*).

Vel etiam denotat articulus ea, quae in sequentibus tribuuntur nomini (Mommsenus 543: *vordeutend*), velut p. 4, 9 *τὸ ἔπος, τό ποτε—.* p. 8, 38 *λόγον τὸν, ὅνπερ.* i. 2, 33 *ἁ κέλευθος, εἴ τις.* p. 5, 1 *ὁ πλοῦτος, ὅνπερ.* p. 2, 30 *αἱ δύο ἀμπλακίαι φερέπονοι τελέθοντι· τὸ μὲν — ὅτι τε* (*haec duo peccata*).

c) Articulus reflectit cogitationem ad res antea notatas (Mommsenus 561: *rückdeutend*): p. 1, 35 *ὁ δὲ λόγος* (*dieser Spruch*). i. 7, 39 *τὸ γέρας.* n. 8, 4 *τῶν ἀρειόνων*

ἐρώτων (in praecedentibus versibus agitur de bonis et perniciosis amoribus). n. 8, 37 *κλέος τὸ δύςφαμον*, cf. v. 32. — Praeterea notavit Mommsenus n. 7, 49. p. 2, 64. i. 2, 6. p. 2, 40. 41; sed in nonnullis aliis locis ab eo memoratis: p. 3, 86. n. 11, 11. i. 5, 16 omnino res notas mihi significare videtur articulus.

Multis vero locis, qui similes videntur, omissus est articulus: ol. 2, 22 *λόγος illa, ea sententia.* n. 8, 21 *ὄψον δὲ λόγοι φθονέροισι ii sermones?* p. 9, 10 (cf. v. 6). p. 6, 32 *χαμαιπετὲς δ' ἄρ' ἔπος οὐκ ἀπέῤῥιψεν.*

d) Res notas famaque pervulgatas denotat articulus, quod raro fit in solis nominibus sine adjectivis: p. 2, 73 *ὁ δὲ Ῥαδάμανθυς.* ol. 13, 110 *ἅ τ' Ἐλευσὶς* (antea sine articulo: *Πέλλανά τε καὶ Σικυὼν* sq.). ol. 3, 9 *ἅ τε Πίσα.* p. 4, 66 *Ἀπόλλων ἅ τε Πυθώ*, ubi aut *δέ* aut *τέ* additum est articulo; singulare est p. 4, 75 *τὸν μονοκρήπιδα ἐν φυλακᾷ σχεθέμεν*, ubi memoratur oraculum. — Alibi adjectum est aut adjectivum, ut i. 5, 58 *τὸν Ἀργεῖον τρόπον.* ol. 13, 4 *τὰν ὀλβίαν Κόρινθον.* (postpositum ol. 7, 34 *θεῶν βασιλεὺς ὁ μέγας.* ol. 2, 27 *παῖς ὁ κισσοφόρος*), saepissime alibi; aut genetivus substantivi, ut i. 2, 9 *τὸ τὠργείου ῥῆμα.* p. 4, 248 *τὰν Οἰδιπόδα σοφίαν.* (postpositus ol. 2, 77 *πόσις ὁ Ῥέας.* ol. 8, 31 *παῖς ὁ Λατοῦς*), alibi.

Quod saepe ita fit, ut articulus substantivo cum adjectivo conjuncto praepositus ei tribuat aliquid e vulgari opinione ei concessum, ut ol. 11, 53 *ὅ τ' ἐξελέγχων μόνος ἀλάθειαν ἐτήτυμον χρόνος et tempus, quod, ut notum est, solum aperit veritatem.* ol. 2, 17 *χρόνος ὁ πάντων πατήρ.* ol. 4, 27 *παρὰ τὸν ἁλικίας ἐοικότα χρόνον.* frgm. 133 *ἄνακτα τὸν πάντων ὑπερβάλλοντα χρόνον μακάρων.* (Aliter dicta videntur ol. 8, 20 *ὁ ἐπαντέλλων χρόνος.* ol. 11, 70 *ὁ μέλλων χρόνος.* n. 7, 67 *ὁ δὲ λοιπὸς χρόνος.* p. 1, 46 *ὁ πᾶς χρόνος.*) — frgm. 172 *μὴ πρὸς ἅπαντας ἀναρρῆξαι τόν ἀχρεῖον λόγον* (*die Rede die doch unnütz ist*).

Ita longae interdum et aliquanto verborum intervallo separatae locutiones articulo conjunguntur et quasi continentur; cf. ol. 12, 6. ol. 2, 15. p. 9, 23. 4, 184. n. 4, 2. 27. ol. 13, 51 (53). al. Qua re periodorum perspicuitas magnopere augetur. — Restant nonnullae animadversiones:

Soli adjectivi superlativo, non cum nomine conjuncto, bis praepositus est articulus ita, ut personam notam et claram denotaret: n. 1, 64 *καί τινα — τὸν ἐχθρότατον φᾶσε νιν δώσειν μόρῳ.* n. 10, 13 *ὁ δ' ὄλβῳ φέρτατος*[1] *ἵκετ' ἐς κείνου γενεάν, ἐπεὶ — ἀθανάτων βασιλεὺς αὐλὰν ἐςῆλθεν σπέρμ' ἀδείμαντον φέρων Ἡρακλέος.* (Ubi superlativus conjunctus est cum nomine, articulum positum vides p. 8, 64. 10, 24. n. 5, 23. 7, 23. i. 6, 5; omissum ol. 2, 77. n. 8, 25. 4, 1.)

Pronomina possessiva posita sunt cum articulo ol. 5, 4. 11. p. 5, 72. 8, 33. n. 7, 102. i. 1, 1. 58. i. 4, 19. p. 11, 41? n. 4, 90?

---

1) Quis sit ille *summa felicitate pollens* dissentiunt commentatores, referentes ea verba aut ad Jovem (Schol. Bergk.) aut ad Amphitruonem (Boeckh. Dissen. Mommsen. Friederichs.) aut ad Herculem (Rauchenstein). Mihi quominus de Amphitruone cogitem obstant haec impedimenta:

1. Difficillime referri potest *κείνου* ad nomen *Ζεύς* v. 11, quod non subjectum est proxime sententiae (*θρέψε δ' αἰχμάν*, sc. Argos), et per parenthesin tantum illatum videtur. Sed ubique fere apud Pindarum *κεῖνος* referendum est ad proximam personam, cf. ol. 6, 80. 7, 49. 11, 30. 43. p. 3, 55. 4, 85. 281. 9, 95. n. 5, 30. 6, 17; a qua plerumque paucorum tantum verborum spatio separatur. Quare fieri vix potest, quin *κείνου* referatur ad Amphitruonem in antecedenti versu commemoratum.

2. Nunqnam Amphitruoni a Pindaro tribuitur *ὄλβος*, quae vox summam in ejus cogitatione significat felicitatem; neque apte Heraclis generatio Amphitruoni felicitatis causa fuisse dicatur.

3. Aeque inepte dictum foret *ἵκετο ἐς Διὸς γενεάν* de Amphitruone. Etiam de Hercule (qui appellatur i. 3, 76 *κάλλιστον ὄλβον ἀμφέπων*) innato vix puto dixisse Pindarum: *ἵκετο ἐς γενεάν.*

Immo de Jove ea verba intelligo, quam maxime motus comparatione loci i. 6, 5 *δεξαμένα τὸν φέρτατον θεῶν, ὁπότ' Ἀμφιτρύωνος ἐν θυρέτροις σταθεὶς ἄλοχον μετῆλθεν Ἡρακλείοις γοναῖς*, ubi in eadem re describenda prorsus fere iisdem verbis eademque sententiarum structura usus est poeta. — Nec me offendit similium verborum repetitio, quum etiam alibi ita usus sit P. tautologia, ut initio breviter rem factam esse memoraret, tum uberius singula exponeret: n. 5, 13 *ὁ τᾶς θεοῦ, ὃν Ψαμάθεια τίκτ' ἐπὶ ῥηγμῖνι πόντου.* ol. 1, 40 *σε φθέγξομαι — τότ' Ἀγλαοτρίαιναν ἁρπάσαι, δαμέντα φρένας ἱμέρῳ χρυσέαισιν ἀν' ἵπποις ὕπατον ποτὶ δῶμα Διὸς μεταβᾶσαι*, ubi infinitivum *μεταβᾶσαι* conjungo cum *ἱμέρῳ*, cf. §. 12, 3. — ol. 1, 69 *ἑτοῖμον ἀνεφρόντισε γάμον, Πισάτα παρὰ πατρὸς εὔδοξον Ἱπποδάμειαν σχεθέμεν.*

Numerum certum rerum a majore segregat articulus ol. 8, 37 *γλαυκοὶ δὲ δράκοντες — τρεῖς, οἱ δύο μὲν κάπετον· εἷς δ' ἀνόρουσε.* — Ita dictum est etiam ol. 13, 95 *τὰ πολλὰ βέλεα* = *plurima tela.*

Nunquam conjuncta sunt, sicut in Attico sermone, apud Pindarum cum articulo pronomina demonstrativa *οὗτος, ὅδε, ἐκεῖνος.*

3. Alter articuli usus is est, ut nominibus et substantivis et adjectivis praepositus de toto genere rerum aliquid praedicet; quae generalis articuli significatio multo posterior est quam illa in antecedentibus exposita, neque apud Homerum invenitur. Apud Pindarum leguntur cum tali articulo:

a) adjectiva et participia sine nominibus posita haud raro; exempla sunt (praeter neutra quae enumeravi §. 1, 5): p. 2, 88 *ὅταν πόλιν οἱ σοφοὶ τηρέωντι.* 96 *ἁδόντα τοῖς ἀγαθοῖς.* p. 4, 285 *ἀντία τοῖς ἀγαθοῖς.* i. 3, 48 *τῶν ἀπειράτων ἄγνωστοι σιωπαί.* i. 3, 7 *χρὴ ὑμνῆσαι τὸν ἐσλόν.* i. 1, 40 (35) *ὁ πονήσαις νόῳ καὶ προμάθειαν φέρει.* ol. 2, 86 *σοφὸς ὁ πολλὰ εἰδὼς φυᾷ.* ol. 1, 97 *ὁ νικῶν — ἔχει μελιτόεσσαν εὔδιαν.* p. 8, 88 *ὁ καλόν τι νέον λαχών — πέταται.* p. 11, 30 *ὁ δὲ χαμηλὰ πνέων ἄφαντον βρέμει.* n. 6, 62 *τὸ δὲ πὰρ ποδὶ ναὸς ἑλισσόμενον αἰεὶ κυμάτων πικροτάτα μένει τελευτά.* — Vides participia ubique nominativo posita. (Sed saepe deest articulus: n. 8, 21. 10, 78. 9, 6. ol. 6, 72. 8, 60 (dát.). frgm. 76. n. 6, 47. 7, 63. i. 6, 26);

b) substantiva cum adjectivis aut participiis conjuncta: ol. 1, 81 *ὁ μέγας κίνδυνος.* p. 3, 86 *ὁ μέγας πότμος.* p. 7, 18 *τὰ καλὰ ἔργα.* n. 4, 83 *ὕμνος τῶν ἀγαθῶν ἐργμάτων.* ol. 10, 20 *τὸ ἐμφυὲς — ἦθος.* ol. 13, 13 *τὸ συγγενὲς ἦθος.* n. 3, 75 *ὁ μακρὸς αἰών.* p. 5, 12 *τὰν θεόςδοτον δύναμιν.* ol. 1, 28 *ὑπὲρ τὸν ἀλαθῆ λόγον.* ol. 2, 53 *ὁ μὰν πλοῦτος ἀρεταῖς δεδαιδαλμένος.* ol. 11, 88 *πλοῦτος ὁ λαχὼν ποιμένα ἀλλότριον.* p. 3, 108 *τὸν ἀμφέποντ' αἰεὶ φρασὶ δαίμονα.* ol. 1, 99 *τὸ δ' αἰεὶ παράμερον ἐσλόν.* n. 7, 55 *καὶ τὰ τέρπν' ἄνθεα Ἀφροδίσια.* (Fortasse hoc loco articulus cum vi praedicat significationem adjectivi: *und die doch so lieblichen Blüthen*; cf. 2, b.)

Substantivo cum genetivo nominis conjuncto praepositus est articulus i. 6, 45 *ὁ δ' ἀθανάτων μὴ θρασσέτω φθόνος.* ol. 12, 6 *αἵ γε μὲν ἀνδρῶν ἐλπίδες.*

c) Substantiva non cum adjectivis conjuncta perraro apud Pindarum generali sensu cum articulo leguntur. Interdum cum articulo posita sunt substantiva, quibus moralis quaedam inest notio, et id quidem in oraculis vel sapientium virorum dictis et praeceptis (Mommsen. 551): p. 9, 95 *κεῖνος* (Nereus) *αἰνεῖν καὶ τὸν ἐχθρὸν ἔννεπεν.* i. 3, 66 *χρὴ δὲ πᾶν ἔρδοντ' ἀμαυρῶσαι τὸν ἐχθρόν.* p. 2, 24 *Ἰξίονα φαντὶ λέγειν· τὸν εὐεργέταν ἀγαναῖς ἀμοιβαῖς ἐποιχομένους τίνεσθαι.* p. 5, 41 *ἑκόντι πρέπει νόῳ τόν εὐεργέταν ὑπαντιάσαι.* cf. exempla supra allata: i. 3, 7 *τόν ἐσλόν.* p. 4, 75 *τὸν μονοκρήπιδα.*

Cetera talis articuli exempla sunt omnia: p. 5, 1 *ὁ πλοῦτος εὐρυσθενής, ὅταν τις ἀρετᾷ κεκραμένον — αὐτὸν ἀνάγῃ πολύφιλον ἑπέταν.* ol. 1, 1 *ὁ δὲ χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ ἅτε διαπρέπει νυκτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου.* n. 4, 82 *ὁ χρυσὸς ἑψόμενος αὐγὰς ἔδειξεν ἁπάσας·* (*ὕμνος δὲ* sq. sine articulo). frgm. 243 *Διὸς παῖς ὁ χρυσός.*

Quibus in locis memorabile videtur, notiones illas *πλοῦτος* et *χρυσός* quasi animantes vivasque versari in Pindari cogitatione (cf. quae iis tribuuntur epitheta: *μεγάνωρ* ol. 1, 2. *ἀγάνωρ* p. 10, 18. *μεγασθενής* i. 4, 2), quae eorum vis articulo addito fortasse etiam magis declaratur et apparet. (Ceterum in loco primo p. 5, 1 articulus etiam cum Mommseno ita explicari potest, ut indicet sequentia, vide 2, b; cf. ol. 2, 53. 11, 88.)

Restant tres tantum loci: p. 4, 286 *ὁ γὰρ καιρὸς πρὸς ἀνθρώπων βραχὺ μέτρον ἔχει.* p. 3, 114 *ἁ δ' ἀρετὰ κλειναῖς ἀοιδαῖς χρονία τελέθει.* ol. 7, 30 *αἱ δὲ φρενῶν ταραχαὶ* (cum genetivo conjunctum) *παρέκλαγξαν καὶ σοφόν;* quae sententiae, etsi singulas res respiciunt, prorsus tamen generaliter dictae sunt, quare nolim cum Mommseno ita explicare eos articulos, ut commonefaciant eorum, quae antea dicta sint (2, c).

Quibus addendum est fortasse e Boeckhii conjectura n. 7, 25 *τὰν ἀλάθειαν plenam atque integram veritatem.*

d) Generalis est significatio etiam articuli conjuncti cum adjectivo *πᾶς*: ol. 1, 30 *ἅπαντα τὰ μείλιχα* (*βίαια πάντα* n. 7, 67). ol. 14, 6 *σὺν ὔμμιν — τὰ γλυκέα γίγνεται πάντα βροτοῖς*. n. 4, 72 *λόγον Αἰακοῦ παίδων τὸν ἅπαντα*. p. 1, 40 *ὁ πᾶς χρόνος* (cf. ol. 2, 30 *τὸν ὅλον ἀμφὶ χρόνον*). ol. 9, 100 *τὸ δὲ φυᾷ κράτιστον ἅπαν*; etiam audacius postpositum est *πᾶν* i. 7, 13: *τὸ δὲ πρὸ ποδὸς ἄρειον ἀεὶ σκοπεῖν χρῆμα πᾶν*.

Alibi *πᾶς* et *ἅπας* sine articulo leguntur; nunquam additus est articulus adjectivo *ἕκαστος*.

4. Libero modo apud Pindarum saepe adverbia vel nomina cum praepositionibus conjuncta praefixo articulo nominum instar ponuntur.

Ita subjecti sive objecti locum tenent aut pro alio quodam casu posita sunt: ol. 3, 44 *τὸ πόρσω δ' ἐστὶν ἄβατον*. p. 3, 22 *παπταίνει τὰ πόρσω*. p. 10, 63 *τὰ δ' εἰς ἐνιαυτὸν — ἀτέκμαρτον προνοῆσαι*. n. 9, 42 *τὰ δ' ἄλλαις ἁμέραις πολλὰ φάσομαι*. n. 2, 23 *τὰ δ' οἴκοι μάσσον' ἀριθμοῦ*. p. 11, 52 *τῶν ἄμ πόλιν τὰ μέσσα*. ol. 13, 101 *τὰ δ' Ὀλυμπίᾳ αὐτῶν*. n. 8, 42 *τὰ μὲν ἀμφὶ πόνοις ὑπερώτατα*. ol. 9, 100 *τὸ δὲ φυᾷ κράτιστον ἅπαν*. p. 3, 62 *τὸ πὰρ ποδός*.

Similis videtur articulus genetivo nominis praepositus: n. 10, 4 *μακρὰ μὲν τὰ Περσέος ἀμφὶ Μεδοίσας Γοργόνος*. p. 4, 277 *τῶν δ' Ὁμήρου καὶ τόδε συνθέμενος ῥῆμα πόρσυνε*. p. 2, 89 *ὃς ἀνέχει ποτὲ μὲν τὰ κείνων*. (Ter articulus praepositus est genetivo nominis, ut intellegatur *υἱός*: n. 5, 13. ol. 2, 46. 11, 70. cf. §. 5, 2.)

Interdum tales locutiones accusativo casu [1]) solutae constructione adverbiorum in modum positae sunt: p. 8, 51 *τὸ δ' οἴκοθεν ἀντία πράξει*. p. 11, 43 *τὸ δ' ἐκ Διός ex Jove vero*. n. 4, 69 *Γαδείρων τὸ πρὸς ζόφον οὐ περατόν* (fortasse autem ea verba nominativi locum tenent, conjuncti cum genetivo *Γαδείρων*). — n. 7, 101 *τόπερ νῦν*. p. 11, 44 *τό γε νῦν*. p. 5, 109 *τὸ νῦν τε καὶ τὸ λοιπὸν ὀπίσσω*. n. 7, 45 *τὸ λοιπόν*. n. 3, 49 *τὸ πρῶτον*. ol. 1, 32 *τὸ πολλάκις*. p. 11, 39 *τὸ πρίν*. ol. 11, 87 *νεότατος τὸ πάλιν*.

1) Si quidem eae locutiones in accusativorum numero habendae sunt.

Etiam infinitivi saepe libero modo cum articulo conjuncti sunt (§. 12, 4).

Nec minus adverbia vel casus nominum articulo addito sicut adjectiva cum nominibus conjunguntur: ol. 11, 46 *τὸ κύκλῳ πέδον*. ol. 5, 2 *στεφάνων τῶν Ὀλυμπίᾳ*. 3, 13 *τῶν Ὀλυμπίᾳ ἀέθλων*. n. 10, 26 *τὸν Ἰσθμοῖ καὶ Νεμέᾳ στέφανον*. i. 1 14 *τὸ μὲν ἅρματι τεθρίππῳ γέρας*. ol. 7, 83 *ὅ τ᾽ ἐν Ἄργει χαλκὸς — τά τ᾽ ἐν Ἀρκαδίᾳ ἔργα καὶ Θήβαις*. i. 7, 9 *τὸν ὑπὲρ κεφαλᾶς — Ταντάλου λίθον*. p. 1, 18 *ταί θ᾽ ὑπὲρ Κύμας ἁλιερκέες ὄχθαι*. p. 1, 72 *ὕβριν τὰν πρὸ Κύμας* (v. 77 sine articulo *πρὸ Κιθαιρῶνος μάχαν*). p. 10, 62 *φροντίδα τὰν πὰρ ποδός*. i. 7, 13 *τὸ δὲ πρὸ ποδὸς — χρῆμα πᾶν*. p. 4, 92 *τᾶν ἐν δυνατῷ φιλοτάτων*. i. 7, 47 *τὸ δὲ πὰρ δίκαν γλυκύ*. i. 6, 1 *τῶν πάρος καλῶν*. i. 2, 1 *οἱ πάλαι φῶτες*. p. 6, 40 *τῶν πάλαι* (sc. *ἀνδρῶν*). 44 *τῶν νῦν δέ*. ol. 1, 105 *τῶν γε νῦν*. n. 9, 15 *δίκαν τὰν πρόσθεν*. frgm. 95, 1 *τὰν ἐνθάδε νύκτα*. frgm. 98, 2 *ἐς τὸν ὕπερθεν ἅλιον*.

(Saepe vero etiam sine articulo tales locutiones liberrime cum nominibus conjunguntur, §. 14, 3.)

§. 9.

De generibus verborum.

1. Activorum verborum nonnullorum futuro et aoristo sigmatico transitiva, ceteris temporibus intransitiva notio inest; quae sunt apud Pindarum *βάσομεν* ol. 1, 42. 6, 24. *ἄμβασε* p. 4, 191. *προβάσει* ol. 8, 63; sed ejusdem verbi perfectum ita usurpatum esse (quod voluit Boeckhius in loco p. 10, 12 *ἐμβέβακεν*) nego, cf. §. 4, 3.

Minus usitata videntur n. 10, 69 *ἀνέχασσαν* *repulerunt* (Xen. anab. IV, 1, 2). n. 8, 18 *ἔβρισε* *complevit* (Aesch. Pers. 344); sed intransitive positum videtur *ἐπιβρῖσαι* p. 3, 106. — i. 5, 74 *πίσω σφε Δίρκας ὕδωρ*. frgm. 77 *ἐνέπισε κεκραμέν᾽ ἐν αἵματι*. p. 5, 68 *ἔνασσε* *habitare fecit*. p. 11, 13 *ἔμνασεν ἑστίαν* = *celebravit*.

Cogitet aliquis fortasse de verbi γιγνώσκω sensu causativo nonnullis locis, ut significet *apertum vel notum facere, celebrare*; et ita intellexerunt id verbum interdum et scholiastae et commentatores recentiores, quamvis nullo loco necessaria videtur ea explicatio sane insolita. — Singuli loci sunt: ol. 6, 89 γνῶναι τ' ἔπειτ' —, ἀρχαῖον ὄνειδος εἰ φεύγομεν; Boeckh.: *ut declarent, antiquum opprobrium an effugiamus*; sed nihil impedit quominus vertas: *cognoscamus* (= *lass uns sehen, ob* —). ol. 7, 83 ὅ τ' ἐν Ἄργει χαλκὸς ἔγνω νιν (schol. ἐγνώρισε). ol. 6, 96 ἀδύλογοι δέ νιν λύραι — γιγνώσκοντι (schol. vet.: γνωρίζουσι) *lyrae noverunt eam*, i. e. *quasi familiares ei sunt*. p. 4, 263 γνῶθι νῦν τὰν Οἰδιπόδα σοφίαν, quod nisi fallor Rauchenstenius explicavit: *apertum fac sapientiam, praebe eam*; sed aptissima est solita ejus verbi significatio etiam in eo loco.

Verbi πονέω aoristus transitivo sensu = *labore perfecit* legitur p. 4, 236; intransitivo (= *laboraverunt*) n. 7, 36; passivum significans *perfectum esse* bis exstat: ol. 6, 11. p. 9, 93. Quibus in locis codices non probare videntur, quod annotavit Boeckhius (not. p. 4, 236): verbum πονεῖν, ubi vim habet efficiendi, assumit literam ᾱ.

E contrario intransitivo sensu usurpata sunt a Pindaro, ut etiam apud alios, nonnulla verba movendi: n. 4, 55 προςτραπών. frgm. 164 μετατραπεῖν? ol. 7, 95 διαιθύσσω. p. 1, 37 παραιθύσσω (transitivo sensu παραίθυξε ol. 11, 67 [73]). Eodem modo πορεύεν intransitivo sensu usurpatum esse puto ol. 3, 25 δὴ τότ' ἐς γαῖαν πορεύεν θυμὸς ὥρμα Ἰστρίαν νιν, in Disseni enim explicatione: „*animus id agebat* (ὥρμαιν'), *ut in Istriam terram eum duceret*“ mihi quidem non placet animus ille separatim sibi consilia capiens contra ipsum hominem.

Praeterea intransitiva notio inest verbis: ἔχω p. 1, 72: ὄφρα κατ' οἶκον ὁ Φοῖνιξ — ἔχῃ. i. 7, 69 παρέχει = *in promptu est*; p. 2, 86 προφέρει *praestat* (aliter Mommsenus Pindaros pag. 82: *fördernd auf etwas einwirken*, sicut Thuc. 1, 93, 2); n. 6, 4 προςφέρομεν *similes sumus* (sicut προςφέρεσθαι Herod. 1, 116), cui oppositum est n. 7, 54 διαφέρομεν (transitive usurpatum p. 11, 60). — Sed τελευτάω et ἐκτελευτάω ut apud Homerum sic etiam apud Pindarum ubique

transitiva sunt; nam ol. 7, 68 cum Mommseno legendum est *τελευτάθεν*.

2. Medii, vario sane modo in Graeca lingua usurpati, ea primitus vis est, ut multo major, quam in activo, gravitas tribuatur subjecto, quod versatur in aliqua actione, magisque agatur de eo, quomodo ad subjectum pertineat actio verbi, parum vel omnino non cogitetur de objecto actionis. Multis vero locis licuit poetae, modo lenius modo fortius eam, quae est inter actionem verbi et subjectum, relationem exprimere; haud raro igitur in eadem re describenda modo activo modo medio usum esse videmus Pindarum. Qua de re quod dixit Friederichsius (Pind. Stud. pag. 50): „In Pindars Sprache ist, wie bei Homer, Medium und Activum noch nicht so streng geschieden," concedendum est, ita quidem, ut minus quam Atticos scriptores certis loquendi formulis obstrictum fuisse statuamus Pindarum; sed id non ita accipiendum, quasi nullum omnino significationis sensisset poeta discrimen inter activum et medium, quod nonnullis certe locis a Friederichsio allatis demonstrari potest. Ita de Hercule ludorum Olympicorum institutore dictum est ol. 9, 69 *εὖτ᾽ ἂν πατρὶ ἑορτὰν κτίσῃ quo tempore patri festum institueret*; sed medium vides ol. 11, 25 *ἀγῶνα, ὃν — ἐκτίσσατο*, ubi non memoratur alius quidam, cujus in honorem ludi instituti sint. — Ter praeterea n. 11, 28. i. 1, 28. 2, 16 de victore coronato Pindarus usus est verbo *ἀναδήσασθαι*, semel simplici activo: p. 10, 40 *ἀναδήσαντες κόμας δάφνᾳ* (bis praeterea p. 2, 6. i. 4, 10 dictum est *ἀναδῆσαι* de alio, qui coronat hominem); semel ol. 14, 24 *ἐστεφάνωσε χαίταν*, quinquies (ol. 7, 15. ol. 7, 81. 12, 19 (17). p. 8, 20. n. 6, 19.) *στεφανώσασθαι* sine objecto.

Praeterea in similibus locutionibus promiscue usus est Pindaricus activo et medio his locis: i. 6, 22 *ἰδεῖν μορφάεις*. cf. ol. 13, 109. — i. 3, 68 *ὀνοτὸς ἰδέσθαι*. cf. p. 1, 26. — n. 8, 36 *ἐρίζειν χειρόνεσσι*, alibi. i. 3, 47 *ἐρίζεσθαι Πανελλάνεσσι*; cf. ol. 1, 95. i. 4, 4. — ol. 1, 13 *δρέπων*. cf. p. 1, 49. 4, 130. 6, 48. — n. 2, 9. frgm. 88, 1 *δρέπεσθαι*, quod apud alios usitatius. p. 4, 243 *πράξασθαι πόνον perficere laborem*, cf. p. 3, 115; alibi *πρᾶξαι*.

Interdum verborum clamandi et canendi medio genere utitur Pindarus: ol. 11, 79 *κελαδησόμεθα* et i. 1, 30 *γαρύσομαι* (alibi act.); ol. 9, 198 *ὄρθιον ὤρυσαι*. i. 6, 39. al. *ἀείσομαι*, ut notum;

μέλπεσθαι p. 3, 78. n. 1, 20; activum frgm. 45, 10 *γόνον μελπέμεν* (addito objecto). ol. 2, 92 *αὐδάσομαι* e script. Mommseni.

Praeterea commemorabo p. 1, 40 *νόῳ τιθέμεν*, pro Homerico illo: *ἐν φρεσὶ θέσθαι* (sed n. 3, 62: *ἐν φρεσὶ πάξαιτο*. n. 10, 79 *διπλόαν γνώμᾳ θέτο βουλάν*). n. 11, 33 *συμβαλεῖν* = *conjectura assequi*, quae apud alios significatio medio quam maxime inest. ol. 5, 24 *ἐξαρκέων κτεάτεσσι* Boeckhius explicat: *abunde sibi divitias habere*, ut eadem significatione usurpatum sit activum, qua apud Atticos scriptores praeditum est medium ejus verbi; sed aptissime vertere potes eum locum: *satisfaciens opibus suis*, i. e. *non indignum se ostendens ea, qua fruitur, conditione.* — ol. 8, 59 *διδάξασθαι* dictum est de magistro, qui puerum edocuit artem (luctandi), quod interdum factum est etiam ab aliis; in loco Pindarico *τὸ διδάξασθαι δέ τοι εἰδότι ῥᾴτερον* quam maxime agitur de gloria, quae ipsi magistro eveniat e discipulorum victoriis, quare vertas non inepte cum Kruegero (§. 52, 11, 2): *sich Schüler heranbilden.*

Etiam alibi minime sua vis deest medio, ut p. 4, 138: *βάλλετο κρηπῖδα ἐπέων in sua causa verba fecit.* p. 4, 29 *ἀνδρὸς πρόςοψιν θηκάμενος sibi sumens faciem viri.* ol. 7, 31. p. 4, 263. al. *μαντεύεσθαι oracula expetere.*

Causativo sensu medium positum esse putat Boeckhius ol. 13, 3: *γνώσομαι τὰν ὀλβίαν Κόρινθον*, quod aptius explicabis: *noscam* vel *visitabo.* — Memorabile est p. 4, 84 *σφετέρας γνώμας πειρώμενος experimentum praebens suae virtutis.*

Passivo sensu usurpata sunt medii formae paucae: p. 1, 10 *τεαῖς ῥιπαῖσι κατασχόμενος domitus.* ol. 8, 45 *ἄρξεται agetur, incipietur ea res.*

3. De passivo genere nihil fere habeo quod commemorem, nisi ol. 7, 61 *μνασθέντι* sensu activo usurpatum = *monenti, mentionem facienti* secundum Boeckhii explicationem, quae minime necessaria videtur; non dubie *δρακείς* p. 2, 20. n. 7, 3. frgm. 88, 2, ut notum; *ἀμύνεσθαι* passivi sensu praeditum est p. 11, 54; medii i. 6, 27.

§. 10.

De temporum usu.

In temporum usu Pindarus non ita multum a vulgari more abhorret.

1. Praesens nonnullorum verborum etiam tum ponitur, quum actio memoratur, cujus initium quidem antea factum est, effectus adhuc durat. Eorum verborum notissima sunt ἵκω (quod, etsi e perfecto radicis ἱ — ortum, tamen, quod ad Graecorum ipsorum conscientiam attinet, inter praesentia numerandum videtur) cum compositis ita usurpatum, ut significet: *venisse, adesse* n. 5, 50. ol. 5, 9. ol. 11, 91. p. 11, 32. p. 6, 43 τὰ μὲν παρίκει *ea quidem peracta sunt*; et οἴχομαι *abesse*. n. 10, 78. p. 3, 3 τὸν ἀποιχόμενον = *mortuum*.

Solemnis praeterea is usus erat in verbo νικᾶν: i. 3, 43 ἅρμα καρύξασα νικᾶν, quod post victoriam demum factum esse apparet (*dass er Sieger sei*); i. 5, 7 Φυλακίδα νικῶντος. Similia sunt i. 6, 22 φέρει Ἰσθμοῖ νίκαν παγκρατίου; p. 10, 7 γεύεται ἀέθλων (*er ist im Genuss seiner Siege*); 9, 35 γεύεται ἀλκᾶς; pariter usurpata sunt alia verba: i. 5, 25 οὐκ ἔστι πόλις, ἅτις οὐκ ἀΐει κλέος Πηλέος = *acceptam habet famam;* p. 4, 164 ὀτρύνει με τεύχειν πομπάν de oraculo jam antea edito, sed nondum perfecto, cujus incitans quasi vis permanebat ad id tempus, quo locutus est Pelias; i. 3, 54 Αἴας μομφὰν ἔχει παίδεσσιν Ἑλλάνων *accepit acceptamque tenet vituperationem.*

Non ita multum abest ab hoc usu participium praesentis conatum indicans, quod futuri loco positum videtur, quum de actione verbi cogitetur ex eo tempore, quo consilium ejus actionis captum est. Qua re dixit Pindarus ol. 7, 14 κατέβαν ὑμνέων, quod rectissime vertit Dissenus: *laudes habens.* ol. 14, 18 ἀείδων ἔμολον. p. 2, 63 ἀναβάσομαι — κελαδέων. n. 6, 57 ἄγγελος βᾶν — γαρύων. ol. 14, 21 δόμον Περσεφόνας ἐλθὲ — φέροισ' ἀγγελίαν. p. 4, 106 ἱκόμαν οἴκαδε — ἀρχαίαν κομίζων τιμάν (*mir holend die alte Ehre*). ol. 13, 55 ἐδόκησαν ἐπ' ἀμφότερα μαχᾶν τάμνειν τέλος, τοὶ μὲν — Ἑλέναν κομίζοντες, οἱ δ' ἀπὸ πάμπαν εἴργοντες. p. 1, 52

*μεταλλάσσοντας ἐλθεῖν ἥρωας Ποίαντος υἱόν, ubi pro eo vocabulo metro repugnanti varia aut praesentis aut futuri temporis participia posuerunt viri docti; certe futuri participium reponendum esse colligi nequit e scholiis (quae futuro ἐπιζητήσοντας utuntur), quum in iis pleraque eorum quae attuli participiorum futuro explicata sint. (Alibi participio futuri usus est Pindarus, ut ol. 6, 20 ἔρχομαι – αἰτήσων.)

Praeclarum denique exemplum est p. 4, 170 ὦρνυεν κάρυκας ἐόντα πλόον φαινέμεν παντᾶ, ubi poeta Jasonem fortem audacemque virum expeditionem a se decretam velut jam praesentem pronuntiantem fecit (schol.: τὸν ἐόντα καὶ δόξαντα πλοῦν). Vividae enim orationis est, res futuras quasi praesentes dicere. Ita etiam in vaticiniis Apollinis et Medeae praesens positum ol. 8, 42 Πέργαμος — ἁλίσκεται; p. 4, 49 τότε γὰρ — ἐξανίστανται Λακεδαίμονος; et ipse poeta de rebus instantibus praesenti tempore usus est n. 4, 40 φθονερὰ δ' ἄλλος ἀνὴρ βλέπων γνώμαν κενεὰν σκότῳ κυλίνδει· — (ἐμοὶ δὲ τελέσει).

Res antea actae velut praesentes narrantur praesenti quod dicunt historico, quod usitatum est apud tragicos, apud Homerum non invenitur; neque ita facile is usus tribuendus est Pindaro quam fecit Boeckhius, not. p. 4, 29. ol. 3, 34. — Nam p. 4, 30 codices optimi et scholia praebent imperfectum ἄρχετο, quare etiam v. 26 φέρομεν imperfectum putandum est; in altero vero loco ol. 3, 34 καί νυν ἐς ταύταν ἑορτὰν ἵλαος ἀντιθέοισιν νίσεται σὺν — παισί Λήδας loquitur poeta de sacris eo ipso tempore celebratis, quibus adesse putabantur dii (v. 32 θαυμαίνει Boeckhianum est, non Pindaricum). — Quare restat nullum nisi unum ejus usus in Pindaricis carminibus exemplum p. 5, 80 τὸ δ' ἐλάσιππον ἔθνος ἐνδυκέως δέκονται θυσίαισιν ἄνδρες οἰχνέοντές σφε δωροφόροι, ubi singulari sane modo inter aoristos (μόλον v. 78. ἄγαγε v. 81) positum est praesens tempus.

Semel Pindarus infinitivo praesentis memorat statum, qui pristino tempore manebat: ol. 7, 55 φαντὶ οὔπω ὅτε χθόνα δατέοντο Ζεύς τε καὶ ἀθάνατοι φανερὰν ἐν πελάγει ἔμμεν Ῥόδον (sequitur perfectum: ἁλμυροῖς δ' ἐν βένθεσιν κεκρύφθαι).

2. *Imperfecto* etiam Pindarus usus est, ubi actio antea per nonnullum tempus continuata sive saepius repetita aut res gestae accuratius descriptae memorandae erant; cujus usus satis esse puto unum praeclarum exemplum memorare: n. 10, 70 πλᾶξε κεραυνὸν — οἱ δ' ἐκαίοντο, ubi aoristus initium denotat actionis, quae continuatur imperfecto ἐκαίοντο. Quae imperfecti vis quamvis plerumque servata sit apud Pindarum, interdum inveniuntur tamen imperfecta promiscue posita cum aoristis, ubi id significationis discrimen non adeo premendum videtur. Quod factum est in nonnullis etiam eorum verborum, quae in Homericis carminibus ita usurpata esse nonnullis locis annotavit Naegelsbach in excursu decimo; quae sunt: πέμπε p. 4, 114. 178. n. 1, 40. λεῖπε ol. 6, 45 τὸν μὲν λεῖπε χαμαί· δύο δὲ γλαυκῶπες αὐτὸν ἐθρέψαντο δράκοντες. βάλλετο (impf. activi nunquam invenitur apud Pindarum) p. 4, 138 βάλλετο κρηπῖδα ἐπέων. ἐκάλει in eodem carmine p. 4, 195 prorsus fere aoristi significatione praeditum. ἆγε frgm. 6, 3. i. 5, 27. p. 9, 123. τεῦχε μέλος p. 12, 19. δίδου p. 9, 117 ἐδίδου Λίβυς κόρα νύμφιον ἄνδρα· ποτὶ γραμμᾷ στᾶσε — εἶπε δὲ ...; ubi imperfectum initio generaliter indicat, quid singulis, quae deinde narrantur, actionibus perfectum sit.

(Verborum ἵστημι, αἱρέω, τελευτάω, ἐκτελευτάω, ποιέω, λείβω imperfecta apud Pindarum omnino non leguntur.)

Saepe τίκτε positum est ita, ut statum per omne tempus permanentem memoret; velut p. 3, 101 ὅνπερ μόνον ἔτικτεν Θέτις *quem solum filium habebat*, cf. ol. 6, 41. frgm. 6, 6. n. 5, 13. (Sed p. 4, 46. p. 9, 16 e contrario particula ea, quae punctum quam maxime temporis significat, ποτέ ei imperfecto addita est.)

Pariter ac praesens verbi νικάω usurpatum est etiam imperfectum n. 5, 5 ἐνίκη = *victor erat*.

Praeterea notavi imperfecti promiscue cum aoristo positi exempla ol. 1, 72 ἄπυεν βαρυκτύπον Εὐτρίαιναν, ὁ δὲ φάνη. ol. 11, 45 σταθμᾶτο — διέκρινε — ἔθηκε. p. 3, 27 οὐδ' ἔλαθε σκοπόν — ἄϊε δὲ ναοῦ βασιλεύς. p. 4, 170 κρίθεν — ὤρνυεν. p. 9, 39 ἀμείβετο. i. 2, 40 ὑπέστειλε — ἐπέρα. i. 5, 56 ἕζετο.

Rem non ad verum effectum deductam significat imperfectum ol. 7, 67 *μνασθέντι Ζεὺς ἄμπαλον μέλλεν θέμεν· ἀλλά νιν οὐκ εἴασεν.* n. 5, 27 *δόλῳ πεδᾶσαι ἤθελε.* n. 4, 59 *φύτευέ οἱ θάνατον· ἄλαλκε δὲ Χείρων parabat ei mortem.* p. 2, 34 *Διὸς ἄκοιτιν ἐπειρᾶτο.*

Similiter addita particula *κέν* p. 3, 1 *ἤθελον Χείρωνα κε — ζώειν τὸν ἀποιχόμενον*; cf. enuntiationum conditionalium descriptionem §. 11, 4.

3. Perfecta ea videntur imprimis enumeranda, quae verbi notionem auctam tantum praesenti tempore memorant; quae sunt apud Pindarum praeter *πεφρίκοντας*, quod etiam in formam praesentis transiit, p. 4, 183, et ol. 6, 49 *γεγάκειν* (de *ἵκω* §. 10, 1): frgm. 95, 3 *βέβριθεν.* frgm. 95, 5 *τέθαλεν.* p. 11, 53 *τεθαλότα.* p. 11, 91. ol. 6, 11. 92. n. 11, 15. 1, 12. 7, 80 *μέμναμαι.* ol. 1, 94 *δέδορκε*; neque n. 3, 80 (84). n. 9, 41 magis praeteriti temporis significatio ei verbo inesse videtur, quum ibi usurpatum sit de reportata victoria aeque atque alibi praesens *νικάω* (§. 10, 1).

Non multum abesse videtur a tali significatione perfectum verbi *καλέομαι*, quod bis exstat apud Pindarum: ol. 7, 76 *κέκληνταί σφιν ἕδραι vocantur sedes.* p. 3, 67 *ἤ τινα Λατοΐδα κεκλημένον* [1]) *ἢ πατέρος*; neque alia perfecta, quae actionem antea quidem inchoatam, sed ad praesens usque tempus continuatam memorant, sive statum ea actione effectum indicant: n. 11, 45 *δέδεται ἀναιδεῖ ἐλπίδι γυῖα vincta tenentur genua.* p. 3, 54 *κέρδει καὶ σοφία δέδεται.* frgm. 253 *ἀγρυξίᾳ δέδενται.* p. 1, 100 *ἀμφοτέροισι ὃς ἂν ἐγκύρσῃ καὶ ἕλῃ — κέρδος ὕψιστον δέδεκται.* p. 5, 22 (20) *δέδεξαι τόνδε κῶμον.* n. 2, 4. p. 1, 13 *ὅσσα μὴ πεφίληκε Ζεύς = amat, dilectos habet*; cf. n. 4, 45 *μέλος πεφιλημένον.* ol. 2, 98 *ψάμμος ἀριθμὸν περιπέφευγεν numerum devitat arena.* p. 4, 248 *πολλοῖσιν ἅγημαι σοφίας multus dux (factus) sum sapientiae.* n. 5, 19 *δεδόκηται bonum visum est et nunc placet.* i. 3, 55 *Ὅμηρος τετίμακεν δι' ἀνέρων.* 77 *τετίμαται δὲ πρὸς ἀθανάτων φίλος.* i. 3, 59 *ἀθάνατον ἕρπει — καὶ διὰ πόντον βέβακεν.*

---

1) Aeschylea exempla collegit Brock: De perfecti et plusquamperfecti usu Aeschyleo. Diss. inaug. Vratislaviae 1865. pag. 8.

p. 10, 12 *ἐμβέβακεν ingressus est, instat intrepide.* i. 1, 49 (43) *γαστρὶ πᾶς τις ἀμύνων λιμὸν τέταται — intentus est, laborat.*

Cujus significationis permulta afferri possunt praeterea exempla. Interdum ita apud Pindarum praemittitur perfectum universam conditionem praeteritis rebus effectam indicans, deinde narrantur aoristo singula facta, quibus ea sententia probatur, velut in locis supra allatis i. 3, 55 *Ὅμηρος τετίμακε, ὃς ἔφρασε* sq. p. 10, 12 *ἐμβέβακε — ἔθηκε.*

Ubique autem perfectum res etsi antea factas ad praesens tamen tempus aliquo modo pertinentes indicat.

4. Plusquamperfecti duo tantum in Pindari carminibus inveni exempla (tria exstant apud Aeschylum auctore Brockio) — praeter *ἐμέμναντο* i. 7, 26, quod vix inter plusquamperfecta ducendum videtur — quae leguntur ol. 6, 54 *κέκρυπτο γὰρ σχοίνῳ.* i. 2, 39 *θεῶν δαῖτας προσέπτυκτο.*

5. Aoristus omnino actionis initium memorat; cujus significationis manifesta exempla leguntur etiam apud Pindarum: ol. 1, 25 *τοῦ ἐράσσατο Γαιάοχος* (*gewann lieb*). n. 10, 24 alibi *ἔσχεν λάθαν πόνων — accepit oblivionem laborum.* n. 7, 3 *ἄνευ σέθεν οὐ φάος, οὐ μέλαιναν δρακέντες εὐφρόναν = nunquam factum esset, ut aspiceremus.* — Quare maxime usitatus est aoristus in rebus gestis narrandis, ut notum. Nimirum nonnunquam eligere poterat poeta, utrum actionis initium tantum memoraret, an eam actionem ad praesens quoque tempus pertinere diceret; ita interdum aoristum positum vides, ubi perfectum exspectaveris, velut ol. 14, 18 *ἔμολον ἀείδων.* n. 6, 59 *ἔβαν γαρύων*, alia, ubi id tantum temporis quasi punctum eximit, quo exiret, neque, quod consentaneum est, addit, se advenisse.

Etiam infinitivus ea aoristi vi praeditus est: ol. 6, 53 *οὔτ' ἀκοῦσαι οὔτ' ἰδεῖν εὔχοντο negaverunt se unquam vidisse aut audivisse*; quare etiam de rebus futuris usurpatur, conjunctus cum verbis sperandi, promittendi, similibus: p. 4, 243 *ἤλπετο — πράξασθαι.* p. 1, 43 *ἔλπομαι — βαλεῖν — ἀμεύσασθαι.* p. 3, 111 *ἐλπίδ' ἔχω εὑρέσθαι.* ol. 1, 58 *τὸν αἰεὶ μενοινῶν — βαλεῖν.* p. 4, 55. 56 *Φοῖβος ἀμνάσει —*

ἀγαγεῖν. n. 7, 71 *ἀπομνύω — μὴ ὄρσαι*. n. 9, 21 *σπεῦδεν ἱκέσθαι*.

Ita conjunctum est cum infinitivo aoristo etiam verbum *μέλλω* ol. 7, 61. 8, 32. p. 9, 53.

Memorandus praeterea est aoristus gnomicus, qui rem aliquando factam esse et rursus fieri posse indicat, usitatus inde ab Homero apud poetas Graecos, nec minus apud Pindarum. Interdum adduntur *ποτέ* aut similia p. 2, 35 *εὐναὶ παράτροποι ἔβαλόν ποτε*. ol. 12, 8 *οὔπω τις εὗρεν*, quae exempla etiam magis in singulis rebus, de quibus sumitur generalis sententia, versantur; alia exempla sunt ol. 5, 16. 7, 31. p. 8, 15. n. 4, 4. 6, 11 al.; etiam cum pronomine relativo: n. 3, 80 *αἰετὸς — ὃς ἔλαβεν αἶψα — ἄγραν*. p. 2, 50 *θεός, ὃ καὶ πτερόεντ᾽ αἰετὸν κίχε*.

Interdum etiam cum praesenti tempore promiscue positus legitur talis aoristus: p. 2, 89 *θεὸς, ὃς ἀνέχει ποτὲ μὲν τὰ κείνων, τότ᾽ αὖθ᾽ ἑτέροις — ἔδωκεν κῦδος*. cf. p, 2, 50. 51. n. 3, 41. 42.

Quin etiam cum futuro promiscue positus est aoristus in sententia conditionali n. 11, 13 *εἴ τις ὄλβον ἔχων παραμεύσεται — ἐν τ᾽ ἀέθλοισιν ἐπέδειξεν βίαν*.

6. Futurum voluntatem indicat nonnullis locis: n. 5, 16 *στάσομαι*. frgm. 118 *προφατεύσω δ᾽ ἐγώ* (*ich will Prophet sein*). i. 3, 90 *κωμάξομαι*. ol. 10, 14 *κελαδήσω*. n. 9, 10 *ἐπασκήσω*. n. 7, 63 *αἰνέσω*. p. 10, 69 *ἀδελφοὺς ποταινήσομεν*, aliis locis; interdum dubitari potest, num eae voces sint futura an — vocali correpta — conjunctivi aoristi.

Ipsum verbum voluntatis ita usurpatum est, ut auxiliaris fere verbi in modum additum sit infinitivo verbi (§. 12, 1, b) ol. 7, 20 *ἐθελήσω διορθῶσαι*, quod idem fere significat quod *ἐθέλων διορθώσω*.

Interdum futurum, quum rem instantem omnibus indicet, sicut aoristus in generalem sententiam transit (Krueger 53, 7, 1. 8): p. 12, 30 *ἔσται χρόνος, ὃ — ἔμπαλιν γνώμας τὸ μὲν δώσει, τὸ δ᾽ οὔπω*; et etiam magis ol. 8, 53 *τερπνὸν δ᾽ ἐν ἀνθρώποις ἶσον ἔσσεται οὐδέν*; post pronomen relativum: ol. 6, 75 *μῶμος κρέμαται τοῖς οἷς ποτε ποτιστάξει χάρις μορφάν*; ubi conjunctivum expectaveris (quem posuit Bergkius;

Mommsenus ποτιστάζει); — et in sententia conditionali promiscue cum gnomico aoristo n. 11, 13. — οἴσω praesens tempus memorat p. 4, 102 φαμὶ διδασκαλίαν Χείρωνος οἴσειν, futurum p. 9, 61; πίομαι praesentis significatione praeditum est ol. 6, 86. — (Futurum cum particula ἂν vide §. 11, 1; ὅπως nunquam cum futuro §. 11, 3.)

Paulo-post-futurum quod dicitur passivi apud Pindarum non legitur.

§. 11.

De modorum usu.

1. Quod attinet ad modos in enuntiationibus primariis usurpatos, de indicativo nihil videtur memorandum, nisi ἂν particulam additam esse etiam indicativo futuri n. 7, 68 μαθὼν δέ τις ἂν ἐρεῖ (God. Hermannus ἂν ad participium pertinere censuit; cf. Madvig Synt. Gr. 118, 3).

Conjunctivi usus congruit vulgari; haud raro usurpatus est adhortativo vel prohibitivo sensu‹ p. 1, 60 ἄγ' ἔπειτ' ἐξεύρωμεν ὕμνον. i. 7, 6 μὴ πέσωμεν. frgm. 183 μὴ πταίσῃς. ol. 5, 24 μή ματεύσῃ θεὸς γενέσθαι.

Praeterea correptae vocalis exempla, interdum dubia: ol. 1, 7 μὴ δὲ — αὐδάσομεν. ol. 6, 3 πάξομεν. n. 9, 8 ὄρσομεν.

Conjunctivus in interrogationibus dubitantibus utrum positus sit a Pindaro dubito; tribus enim qui exstant locis eas voces futura esse puto: ol. 2, 2 τίνα θεόν, τίν' ἥρωα, τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν; 89 ἔπεχε, θυμέ, τίνα βάλλομεν; p. 7, 5 τίνα πάτραν, τίνα δ' οἶκον — ὀνυμάξομαι;

Optativus sine ἂν positus optantis vel leniter imperantis est etiam apud Pindarum per omnes personas: ol. 9, 80. 83 εἴην εὑρησιεπής — τόλμα δὲ ἕσποιτο. i. 2, 35. frgm. 49, 2 τὸ δὲ μὴ Διΐ φίλτερον σιγῷμι πάμπαν. p. 1, 40 ἐθελήσαις ταῦτα νόῳ θέμεν. ol. 2, 100 (91). 9, 12. 13, 25. ol. 8, 85 ἐσλὰ δ' ἐπ' ἐσλοῖς ἔργ' ἐθέλοι δόμεν. ol. 6, 102. 98. p. 2, 83, alibi.

Additum est *εἴ* = *utinam* p. 1, 46. n. 7, 98; et *κέν* cum tali optativo positum, ubi lenissime imperatur, i. 7, 45 *λύοι κεν χαλινὸν ὑφ' ἥρωϊ παρθενίας*.

Haud raro vero apud Pindarum optativus sine *ἄν* vel *κέν* legitur in affirmatione, qui usus rarus est apud Atticos: p. 4, 118 *Αἴσονος παῖς ἐπιχώριος οὐ γαῖαν ἱκοίμαν ἄλλων* (quod metro postulante scripsit God. Hermannus pro *ἱκόμαν*). ol. 10, 21 *τὸ γὰρ ἐμφυὲς οὔτ' αἴθων ἀλώπηξ οὔτ' ἐρίβρομοι λέοντες διαλλάξαιντο ἦθος*. n. 5, 20 *μακρὰ δὴ ἅλμαθ' ὑποσκάπτοι τις*. p. 11, 50 *θεόθεν ἐραίμαν καλῶν*; et de re cogitata tantum, ubi sententia in conditionalem transire videtur ol. 3, 45 *οὔ νιν διώξω· κεινὸς εἴην vanus essem*, si id facerem.

Vix memorare opus est, *ἄν* et *κέν* saepissime etiam addi optativo, cf. ol. 2, 17. 100. 6, 6. 8, 62, al.

De imperativo nihil notandum videtur, nisi quod poeta interdum se ipsum eo modo alloquitur: ol. 9, 6. 11. 40. 109.

2. Accedentes ad enuntiationes secundarias videamus primum, quo modo oratio obliqua ad enuntiationem primariam jungatur.

a) Nonnunquam sententia de dicendi sive cogitandi verbis omnino non pendet, sed recta oratione pergitur. Ita post *λίσσομαι* legitur imperativus ol. 12, 1 *λίσσομαι — ἀμφιπόλει*. p. 1, 71. n. 3, 3; post verbum *ἱκετεύω* optativus frgm. 74, 7 *τράποιο*; praeterea recta oratione pergitur p. 3, 75 *φαμὶ — ἐξικόμαν κε*; n. 5, 48 *ἴσθι — ἐπαύρεο*. ol. 10, 11 *ἴσθι — κελαδήσω*. (i. 4, 35 *λέγε, τίνες πέφνον*.)

b) Deinde notus est usus prolepseos, qua figura persona ea sive res, de qua praedicatur aliquid, quasi objectum cum verbo dicendi sive sentiendi conjungitur, ita ut id ipsum quod praedicatur explicandi causa ei objecto additum videatur; exempla Pindarica: ol. 14, 22 *υἱὸν εἴπῃς, ὅτι — οἱ — ἐστεφάνωσε χαίταν*. ol. 11, 1 *τὸν Ὀλυμπιονίκαν ἀναγνῶτέ μοι Ἀρχεστράτου παῖδα, πόθι φρενὸς ἐμᾶς γέγραπται*. p. 9, 112 *ἄκουσεν Δαναόν, ποτ' ἐν Ἄργει οἷον εὗρεν — γάμον*. p. 4, 241 *δέρμα λαμπρὸν ἔννεπεν, ἔνθα νιν ἐκτάννυσαν Φρίξου μάχαιραι*; optativus ita positus p. 4, 6 *χρῆσεν οἰκιστῆρα Βάττου, ὡς —*

κτίσσειεν. (De accusativo et infinitivo, quae structura simili modo orta esse mihi videtur, vide §. 12, 5.)

c) Interdum verbis dicendi vel sentiendi additus est accusativus objecti, ad quem appositionis in modum se applicat id, quod praedicatur: n. 3, 52 *λεγόμενον τοῦτο ἔχω· Χείρωνα τράφε* sq. ol. 11, 55 *τὸ δὲ σαφανὲς κατέφρασεν, ὅπα — ἔθυεν*. p. 3, 60 *γνόντα τὸ πὰρ ποδὸς, οἵας εἰμὲν αἴσας*.

Infinitivi ita nominis sive pronominis accusativo appositi exempla vide §. 12, 4, b.

d) Eruditioris vero videtur orationis esse, sententiam secundariam per conjunctiones pendere de verbo dicendi sive sentiendi; cujus sententiarum conexus simplicissimus modus est indicativus, quo sententia secundaria supponitur quidem primariae, constructionem tamen suam servat et quasi sui juris manet; ea sententiarum constructione saepissime Pindarus in oratione obliqua usus est: cum conjunctione *ὡς* ol. 13, 75 (72). n. 1, 35. n. 5, 26. 30. *ὅτι* ol. 1, 48. 2, 63 (57). n. 4, 43. n. 5, 3.

Etiam *εἵνεκα* ita usurpatum est i. 7, 33 *εἶπε δὲ Θέμις, εἵνεκεν πεπρωμένον ἦν*; et in eodem carmine *οὕνεκα* i. 7, 17. — Memorandum videtur etiam *ὥστε* cum infinitivo positum post verbum promittendi n. 5, 35 *κατένευσέν τέ οἱ Ζεὺς ἀθανάτων βασιλεὺς, ὥστ' ἐν τάχει — τινὰ πράξειν ἄκοιτιν*.

Eodem modo indicativus positus est in interrogationibus obliquis post pronomina et adverbia interrogativa: n. 3, 25 *ἐξερεύνασε, ὅπᾳ — κατέβαινε νόστου τέλος*. frgm. 87, 8 *θαυμάζω, τί με — λεξοῦντι*. p. 4, 63 *ἀνακρινόμενον, ποινὰ τίς ἔσται*. n. 1, 61 *ὁ δέ οἱ φράζε, ποίαις ὁμιλήσει τύχαις*.

Ex obliqua oratione in rectam transitus fit i. 7, 35.

Optativum in obliqua oratione antecedente historico quod dicunt tempore adhibuit Pindarus: post conjunctionem *ὡς* p. 4, 6. ol. 7, 42 (ubi mandatur aliquid, addita particula *ἄν*); post pronomen p. 9, 115 *ἐκέλευσε διακρῖναι ἅντινα σχήσοι τις*. ol. 6, 49 *εἴρετο παῖδα, τὸν Εὔαδνα τέκοι*. p. 9, 119 *εἶπεν ἀνάγεσθαι, ὃς ἂν πρῶτος — ψαύσειε*.

Conjunctivus servatus est in obliqua oratione in enuntiatione temporali (in qua nunquam posuit optativum Pindarus): ol. 13, 77 *κελήσατό νιν, ὅταν — αὐερύῃ, θέμεν βῶμον*. ol.

6, 67 *εἶτ᾽ ἂν κτίσῃ — θέσθαι κέλευσεν.* n. 1, 67 *ὅταν θεοὶ ἀντιάζωσι — πεφύρσεσθαι κόμαν ἔνεπεν.*

3. In enuntiationibus finem indicantibus apud Pindarum ubique fere servatus est mos ille, ut conjunctivus sequatur praesens, perfectum, futurum, optativus imperfectum sive aoristum; cujus legis per omnia Pindari carmina post indicativum eorum temporum nullam exceptionem inveni nisi unam p. 4, 92 *καὶ μὰν Τιτυὸν βέλος Ἀρτέμιδος θήρευσε, ὄφρα τις τᾶν ἐν δυνατῷ φιλοτάτων ἔρᾶται*, ubi *ὄφρα* indicat eventum e natura actionis praeteritae probabiliter in posterum consecuturum (Francke ad Demosth. olynth. 11, 24); ducitur enim e singulari facto exemplum, quod omnes posteros homines terreat.

In eodem carmine p. 4, 2 *χρή σε παρ᾽ ἀνδρὶ φίλῳ στᾶμεν, ὄφρα — αὔξῃς* constructio sequitur non infinitivum aoristi *στᾶμεν*, sed indicativum praesentis *χρή*.

Semel optativus sequitur praesentis optativum p. 5, 111 *διδοῖτο — μὴ ἀνέμων χειμερία καταπνοὰ δαμαλίζοι.* (Sed conjunctivum vides n. 8, 36; optativum post optativum aoristi n. 3, 62.)

In imperativo varia est structura; imperativum enim aoristi ter sequitur conjunctivus: ol. 6, 23 *ζεῦξον, ὄφρα — ἵκωμαι.* p. 1, 71 *λίσσομαι νεῦσον, ὄφρα — ἔχῃ.* ol. 14, 22 *ἐλθὲ, ὄφρα — εἴπῃς*; semel optativus: p. 4, 155 *λῦσον ἄμμιν, μή τι νεώτερον ἀνασταίῃ κακόν.*

Indicativum futuri in talibus enuntiationibus cum conjunctione *ὅπως* apud Pindarum non inveni; alias conjunctiones cum conjunctivi aoristi correpta forma positas puto: *ὄφρα — βάσομεν* ol. 6, 23. *κελαδήσετε* p. 11, 9. *ἵνα δωρήσεται* p. 9, 57.

Particula *ἄν* sive *κέν* talibus enuntiationibus apud Pindarum nunquam addita est, quod interdum fecit Homerus (non enim prorsus huc pertinere videtur ol. 7, 42 *ἔντειλεν φυλάξασθαι χρέος, ὡς ἂν — κτίσσαιεν*).

4. In conditionalibus enuntiationibus Graeci ab antiquissimis temporibus varia sententiarum conectendarum genera acutissime distinxerunt; e quibus eum modum, qui simplicissimus videtur, conjungendi longe saepissime adhibuit Pindarus. Indicativum enim non praesentis solum sed etiam aliorum

temporum [1]), necessarium conexum indicantem, amplius quadraginta locis posuit, qua de structura nihil amplius videtur commemorandum.

De optativo, qui in conditionibus describendis decies legitur apud Pindarum, memorandum est, duobus locis in codicibus ἄν et κέν additum esse tali optativo. Et in priore quidem loco n. 7, 89 εἰ δ' αὐτὸ καὶ θεὸς ἂν ἔχοι facillime certe offertur Thierschii scriptura ἀνέχοι; in altero vero loco p. 4, 263: εἰ γάρ τις ὄζους πελέκει ἐξερείψαι κεν μεγάλας δρυός, αἰσχύνοι δέ οἱ εἶδος· καὶ φθινόκαρπος ἐοῖσα διδοῖ ψᾶφον περ' αὐτᾶς, εἴ ποτε — πῦρ ἐξίκηται, quum similia exempla aliorum non prorsus desint (Krueger 54, 11, 3), nescio cur non servanda sit codicum scriptura (Thierschius: ἐξερείψειεν. Schneidewinus: ἐξερείψαι μέν). Certe quod scripserunt Bergkius et Mommsenus ἐξερείψῃ κεν — αἰσχύνῃ Pindaricae orationis consuetudini repugnat; nunquam enim per omnia Pindari carmina legitur εἴ κεν, εἰ — ἄν, ἐάν cum conjunctivo. [2])

Sed septies vel octies [3]) conjunctivus aoristi cum solo εἰ conjunctus exstat.

Indicativum aoristi vel imperfecti, ubi de rebus non revera factis agitur, sexies cum conjunctione εἰ posuit Pindarus; omnibus iis locis sequitur aoristus cum particula κέν, nunquam imperfectum.

Nunquam apud Pindarum legi εἴ γε annotavit Boeckhius not. ol. 2, 56.

Non semper apud Pindarum conditiones justis atque integris enuntiationibus continentur, sed interdum in solis par-

---

1) Imperfecti p. 11, 41. n. 7, 74. — perfecti p. 8, 73. n. 5, 19. 2, 6. i. 4, 23. — futuri ol. 7, 1. n. 11, 13 (promiscue cum aoristo!) — aoristi octies. —

2) Respicienda mihi videtur praeterea scholiastae explicatio, qui initium sententiae explicat: εἴ τις — ἐκκόψει καὶ αἰσχύνει, versus finem dicit: ὅταν — ἐπιγένηται; profecto non mutasset structuram, si eodem modo eae duae sententiae conformatae fuissent in eo, quem ante oculos habebat Pindari libro.

3) Dubius est mihi locus n. 7, 11 τύχῃ, cf. §. 14, 3. Praeterea ol. 7, 1 ὡς εἴ τις δωρήσεται. n. 11, 13 εἴ τις παραμεύσεται futuri indicativos habendas esse puto eas verborum formas.

ticipiis, adjectivis vel etiam adverbiis quasi latent, ut i. 7, 15 *ἰατὰ δ' ἔστι βροτοῖς σύν γ' ἐλευθερίᾳ καὶ τά si quidem liberi sunt.* frgm. 49, 2 *τὸ δὲ μὴ Διΐ φίλτερον σιγῷμι πάμπαν = si quid Jovi minus acceptum sit.* ol. 9, 103 *σεσιγαμένον οὐ σκαιότερον χρῆμ' ἕκαστον.* frgm. 87 *θνάσκει ἐπιλασθὲν καλὸν ἔργον* (de participiis §. 13, 3).

Etiam pronomina relativa saepe sensu conditionali posita sunt:

cum indicativo n. 1, 28 *συγγενὲς οἷς ἕπεται si quibus praesto est ingenium*, alibi;

cum solo conjunctivo i. 6, 18 *ἀμνάμονες δὲ βροτοί, ὅτι μὴ σοφίας ἄκρον ἵκηται.* ol. 8, 11 *μέγα τοι κλέος αἰεί, ᾧ τινι — ἕσπηται γέρας.* ol. 3, 11. n. 3, 71. 9, 44. i. 1, 50 (44);

cum conjunctivo et *ἄν* sive *κέν*: p. 1, 100 *ὃς ἂν ἐγκύρσῃ — στέφανον ὕψιστον δέδεκται.* p. 5, 65 (61). n. 4, 91;

cum optativo et *κέν*: n. 4, 7 *ῥῆμα δ' ἐργμάτων χρονιώτερον βιοτεύει, ὅτι κε σὺν Χαρίτων τύχᾳ γλῶσσα φρενὸς ἐξέλοι.*

In omnibus iis locis in primaria enuntiatione positum est aut praesens aut perfectum aut futurum.

5. In sententiis tempus indicantibus indicativus sequitur conjunctiones easdem fere quas apud Homerum: *ἐπεί* quinquagies semel. *ἐπειδή* semel i. 7, 9. *ὅτε* decies (octies aor., bis impf., nonnunquam omissum est verbum). *ὁπότε* decies (septies aor., bis impf., semel fut.). *εὖτε* bis (semel aor., semel impf.). *ἁνίκα* (quod in Homericis carminibus non legitur nisi χ, 198), sexies (ter aor., bis impf., semel praes.). *πρίν* ter indicativus aor. (octies infinitivus aor.). *ἇς* (= *ἕως*) semel cum impf. ol. 11, 51 *ἇς ἄρχε.* *ὄφρα* nunquam apud Pindarum tempus purum significat.

Non leguntur apud Pindarum *ἄχρι, μέχρι, ἔστε, ἦμος.* (Krueger Dial. Synt. 54, 16, 1.)

Conjunctivus post conjunctionem *ὁπότε* legitur sine *ἄν* frgm. 45, 14 et frgm. 2, 47; praeterea post conjunctiones cum *ἄν* compositas: *ὅταν* novies (ter conjunctivus aor., sexies praes.). *ὁπόταν* bis (semel aor., semel praes.), semel praeterea

promiscue cum ὅταν p. 2, 88; εὖτ' ἄν quinquies (conjunctivus aor.). ἐπήν et ἐπειδάν non leguntur apud Pindarum.

Nunquam vero in enuntiationibus temporalibus optativum inveni apud Pindarum (etiam p. 1, 48 non recipiendum est εὑρίσκοιτο secundum optimos codices, quod fecit Boeckhius); in obliqua quoque ratione ubique conjunctivus servatus est (§. 11, 2).

§. 12.

De infinitivi usu.

Infinitivus verbi notionem puram nulla personae, numeri, modi relatione addita significat; temporis quoque significatio haud raro deest, quod quam maxime fieri solet in aoristi infinitivo, cujus exempla vide §. 10, 5. Quin etiam genera verbi interdum non distinguuntur in infinitivo, quum θαῦμα ἀκοῦσαι (= mirum auditu) verti possit et: *mirum si audiveris*, et: *mirum si audiatur.*

In disponendo infinitivi Graeci usu, re difficillima, viam mihi praebebit formae origo, quam secundum G. Curtium [1]) locativam esse puto. Quae formae origo etsi non ubique in ea quae nobis superest Graeca lingua cerni potest, vestigia tamen ejus antiquissimae significationis servasse mihi videtur infinitivus, ubi — aeque ac supini quod dicitur ablativus in lingua Latina — adjectivis, substantivis vel etiam verbis additus indicat id genus actionis, quo vis eorum continetur; Graecos igitur homines — ut ubique e rebus sensibus perceptis intelliguntur mente necessitudines rerum logicae — intuitos esse puto eam actionem velut circulum, in quo vis adjectivorum, substantivorum, verborum quasi versaretur et determinaretur; ut ἀγαθὸς μάρνασθαι dictum sit primitus aeque ac: fortis in pugnando. [2]) Inde postea mutata et quasi debilitata

---

1) Erläuterungen pag. 186. 187.

2) Nescio an eundem in modum explicandi sint dativi talibus adjectivis frequentissime a Pindaro additi (§. 6, 9); una cum infinitivo ita positum vides dativum i. 6, 22 σθένει ἔκπαγλος ἰδεῖν τε μορφάεις.

significatione factum est, ut infinitivus suppleret sive vario modo amplius explicaret notionem adjectivorum, nominum, verborum. Postremo vero ortum esse puto eum infinitivi usum, ut subjecti sive objecti loco in sententia poneretur.

1. Certe in antiquissima Graecorum poesi frequentissimus est is infinitivi cum adjectivis aliisque notionibus conjuncti usus, e quo significationem ejus fluxisse puto; nec minus in Pindari carminibus, e quibus vide quae sequuntur exempla.

a) *δυνατός* et similia adjectiva, quae facultatem ad aliquam rem agendam significant, conjuncta sunt cum infinitivo (qui aut active aut passive verti potest): n. 2, 12 *Σαλαμίς γε θρέψαι φῶτα μαχατὰν δυνατός.* n. 6, 37 *δυνατοί — πορέχειν ὕμνον.* n. 9, 37 *βουλεῦσαι δυνατοί.* ol. 11, 9 *λῦσαι δυνατός.* ol. 11, 39 *νεῖκος κρεσσόνων ἀποθέσθ' ἄπορον.* p. 11, 13 *καλύψαι τ' ἀμάχανον.* ol. 13, 13 *ἄμαχον κρύψαι τὸ συγγενὲς ἦθος*, ubi eundem in modum *ἄμαχον κρύψαι* praedicati in modum cum *ἦθος* conjungere malim. n. 4, 94 *ἀπάλαιστος λόγῳ ἕλκειν* invictus in sermonis lucta (Boeckh.). i. 6, 44 *βραχὺς ἐξικέσθαι χαλκόπεδον θεῶν.* n. 10, 14 *βραχύ μοι στόμα πάντ' ἀναγήσασθαι.* p. 8, 29 *εἰμὶ δ' ἄσχολος καταθέμεν πᾶσαν μακραγορίαν.* n. 10, 78 *παῦροι πιστοὶ βροτῶν καμάτου μεταλαμβάνειν*, ubi ex Atticorum scriptorum usu expectaveris *ὥστε*: *pauci adeo fidi sunt, ut laborum participes fiant.*

Similiter infinitivus additur adjectivo *ἀγαθός* et similibus, indicans actionem, qua quis excellit sive ad quam aptus sive paratus est: ol. 6, 17 *ἀγαθὸν — δουρὶ μάχεσθαι.* (n. 7, 27 *κράτιστον — μάχᾳ Μενέλα δάμαρτα κομίσαι?*) n. 7, 76 *οὐ τραχύς εἰμι — καταθέμεν.* p. 8, 74 *σοφὸς κορυσσέμεν.* ol. 9, 80 *εἴην εὑρησιεπὴς ἀναγεῖσθαι.* p. 4, 39 *ἐντὶ θνατῶν φρένες ὠκύτεραι κέρδος αἰνῆσαι.* (Semel pro tali infinitivo substantivum verbale abstractum cum praepositione conjunctum legitur: frgm. 73, 3 *Σκυρίαι ἐς ἄμελξιν γάλακτος αἶγες ἐξοχώταται.*) i. 6, 22 *ἰδεῖν μορφάεις.* i. 3, 68 *ὀνοτὸς μὲν ἰδέσθαι, συμπεσεῖν δ' ἀκμᾷ βαρύς.* n. 10, 20 *βαρὺς ἀντιάσαι.* p. 7, 9 *ἐπιφανέστερον πυθέσθαι.* i. 2, 37 *αἰδοῖος ἀστοῖς ὁμιλεῖν.* p. 6, 53 *γλυκεῖα φρὴν καὶ συμπόταισιν ὁμιλεῖν.* n. 10, 72 *χαλεπὰ δ' ἔρις ἀνθρώποις ὁμιλεῖν.*

Quibus locis adnumero etiam i. 4, 45 *τετείχισται δὲ πάλαι πύργος ὑψηλαῖς ἀρεταῖς ἀναβαίνειν*, ubi cum Disseno conjungo *ὑψηλαῖς* cum infinitivo: *virtutes arduae ad assequendum*; cf. *ὑψηλαὶ ἀρεταί* ol. 5, 1. *ἄκραι* ol. 13, 15. *αἰπεινοὶ λόγοι* n. 5, 32. *ὄλβος ὑψηλός* ol. 1, 22. n. 8, 42 *αὔξεται ἀρετὰ πρὸς ὑγρὸν αἰθέρα*; quibus in locutionibus eundem in modum tertium comparationis mihi videtur esse difficultas assequendi.

Vides multis locis infinitivos non nudos solum, sed etiam cum objectis aliisque determinationibus satis interdum copiosis conjunctos hoc modo ad adjectiva applicari. Multo magis autem infinitivum ita cum adjectivo conjungere quam subjecti in modum usurpare diligit Pindarus. Ita dixit ol. 13, 48 *ν ο ῆ σ α ι δὲ καιρὸς ἄριστος*, ubi Atticus scriptor dixisset: *ἄριστόν ἐστι, καιρὸν νοῆσαι*. Cf. ol. 7, 26 *ὅτι νῦν ἐν καὶ τελευτᾷ φέρτατον ἀνδρὶ τ υ χ ε ῖ ν* *optimum, quod mortali viro contingere potest.* n. 5, 18 *τὸ σιγᾶν πολλάκις σοφώτατον ἀνθρώπῳ ν ο ῆ σ α ι.* i. 7, 13 *τὸ δὲ πρὸ ποδὸς ἄρειον ἀεὶ σ κ ο π ε ῖ ν χρῆμα πᾶν.*

Quin etiam perfecti passivi infinitivus duobus locis ita cum adjectivis conjunctus est: ol. 6, 101 *ἀγαθαὶ δέ πέλοντ' ἐν χειμερίᾳ νυκτὶ ἀ π ε σ κ ί μ φ θ α ι δύ' ἄγκυραι* (= *ἀγαθόν ἐστι, ἀπεσκίμφθαι ἀγκύρας*). i. 3, 3 *ἄξιος εὐλογίαις ἀνδρῶν μ ε μ ῖ χ θ α ι.*

b) Eodem modo cum v e r b i s, quae subjectum idoneum esse ad aliquid sive excellere aliqua re indicant, infinitivus conjungitur; quale est apud Pindarum praeter *δύναμαι* (p. 4, 158, saepe) *ἀριστεύω* (cf. Homericum *ἀριστεύεσκε μάχεσθαι*): i. 7, 25 *τοῦ μὲν ἀντίθεοι ἀρίστευον υἱέες υἱέων τ' ἀρηΐφιλοι παῖδες ἀνορέᾳ χ ά λ κ ε ο ν σ τ ο ν ό ε ν τ' ἀ μ φ έ π ε ι ν ὅμαδον.*

Fortasse ipsi agendi verbo *πράσσω* ita additus est infinitivus, indicans id genus actionis, in quo quis perficit aliquid: n. 1, 27 *πράσσει ἔργῳ μὲν σθένος βουλαῖσι δὲ φρὴν ἐσσόμενον προϊδεῖν*; quamquam melius videtur cum Mommseno ibi infinitivum conjungere cum iis quae sequuntur verbis.

Hoc loco memorabo etiam verbum *ἐθέλω*, quod interdum ita cum infinitivo conjunctum est, ut auxiliaris verbi in modum positum videatur, sicut ol. 8, 85 *ἐθέλοι δόμεν* = *δοίη*; p. 1,

40 ἐθελήσαις ταῦτα νόῳ τιθέμεν. n. 7, 90 ἐθέλοι ναίειν. ol. 7, 20 ἐθελήσω διορθώσειν = διορθώσω, alibi.

c) Nec minus substantivis similis significationis additur infinitivus: i. 3, 20 εὐμαχανίαν ἔφανας — διώκειν (εὐμάχανος εἶ διώκειν). n. 3, 31 ποτίφορον κόσμον ἔλαβες γλυκύ τι γαρυέμεν = *commodum accepisti, unde dulce aliquid cantari possit.* n. 7, 105 ἀπορία τελέθει — ἀμπολεῖν. n. 6, 51 πλατεῖαι ἐντὶ πρόςοδοι, νᾶσον τάνδε κοσμεῖν. frgm. 150, 5 ἦν δὲ ἰδόντα διακρῖναι πολλὸς ἐν καιρῷ χρόνος. frgm. 75, 2 εἰθεῖα δὴ κέλευθος ἀρετὰν ἑλεῖν.

d) Pronominibus demonstrativis tales infinitivos appositos — quod non ita rarum est apud Homerum tragicosque poetas — in Pindari carminibus non inveni; duobus vero locis insolito modo infinitivus cum nomine conjunctus est, quod tale est, ut ex eo actio verbi consequatur; ubi prosaicus scriptor posuisset ὥστε: i. 5, 44 νῦν σε λίσσομαι παῖδα ἀνδρὶ τῷδε, ξεῖνον ἐμὸν μοιρίδιον τελέσαι *posco a te filium (talem), qui hospitem meum felicem reddat.* i. 3, 9 ἔστι διδύμων ἀέθλων Μελίσσῳ μοῖρα, πρὸς εὐφροσύναν τρέψαι γλυκεῖαν ἦτορ *sors, quae convertat*, sive: *apta ad convertendum.*

Cognata videtur structura loci p. 10, 48 ἐμοὶ δὲ θαυμάσαι θεῶν τελεσάντων οὐδὲν φαίνεται ἔμμεν ἄπιστον, ubi θαυμάσαι singulariter conjunctum videtur cum ἄπιστον: *nihil mihi videtur tam incredibile, ut mirer (zum Staunen gross)*; cf. locum supra allatum n. 10, 78.

2. Ultima quae attuli exempla jam proxime accedunt ad infinitivum eum, qui indicet actionem alteri actioni succedentem, sive id fiat de consilio hominis agentis, sive necessario rerum conexu consequatur. Saepissime tali infinitivo ita usus est Pindarus, ut applicet se aut ad nomen aliquod (sive objectum sive subjectum actionis sive alio modo ad actionem pertinens) aut ad verbum, cujus notionem augeat et compleat; rarius ad totam sententiam apposuit infinitivum.

a) Infinitivus se applicat ad nomen, quod subjecti locum tenet in ea, quam denotat infinitivus, actione: frgm. 6, 1 Θέμιν — ἄγον, ἄλοχον Διὸς ἔμμεν *ut ea uxor Jovis esset.* p. 5, 90 (84) εὐθυτόμον κατέθηκε πεδιάδα — ἔμμεν ὁδόν. ol. 9, 63 μάτρωος ἐκάλεσσέ νιν — ἰσώνυμον ἔμμεν. n. 1,

14 *κατένευσέν οἱ* — *ὀρθώσειν promisit ei, eum dominaturum esse* (post idem verbum *ὥστε* singulariter additum est infinitivo n. 5, 35). cf. p. 9, 118. n. 1, 24. ol. 1, 9. p. 9, 7.

Similiter infinitivus appositus est ad nomen, quod objectum significat actionis infinitivo memoratae: ol. 9, 66 *πόλιν ὤπασεν λαόν τε διαιτᾶν* (*dedit ei urbem, ut eam administraret*). ol. 6, 34 *λάχε δ' Ἀλφεὸν οἰκεῖν*. ol. 6, 33 *ἥρωϊ πορσαίνειν δόμεν βρέφος heroi dare infantem ut eum educaret*. i. 3, 56 *ὃς πᾶσαν ἀρετὰν ἔφρασε* — *λοιποῖς ἀθύρειν qui omnem virtutem tradidit ceteris celebrandam*. cf. p. 9, 56. 65. n. 10, 48. p. 3, 45.

Aut alio quodam modo id nomen ad infinitivi actionem pertinet: p. 4, 222 *ἀντίτομα ὀδυνᾶν δῶκε χρίεσθαι dedit ei medicamenta, ut iis ungeretur*. i. 2, 16 *αὐτῷ στεφάνωμα πέμπεν* — *ἀναδεῖσθαι*. p. 7, 3 *Ἀθῆναι κάλλιστον προοίμιον* — *κρηπῖδ' ἀοιδᾶν ἵπποισι βαλέσθαι pulcherrimum prooemium in quo jaciatur carminum fundamentum*.

b) Ad verba se applicat infinitivus ita, ut eorum notionem augeat atque compleat, indicans actionem, quae ex alia consequatur: n. 6, 9 *τεκμαίρει καί νυν Ἀλκιμίδας τὸ συγγενὲς ἰδεῖν ostendit, ut videri possit*. n. 10, 28 *Μοίσαισι τ' ἔδωκ' ἀρόσαι dedit iis, quod ararent*. ol. 9, 75 *ὥστ' ἔμφρονι δεῖξαι μαθεῖν ostendere, ut cognoscat*. (Aeque atque in hoc loco infinitivus de altero infinitivo pendet ol. 6, 33. p. 3, 45. n. 9, 37. ol. 1, 40?).

Haud raro verbis motum significantibus infinitivus additur, indicans, quem ad finem motus fiat: ol. 6, 63 *ὄρσο τέκος, δεῦρο πάγκοινον ἐς χώραν ἴμεν*. ol. 4, 12 *κῦδος ὄρσαι σπεύδει*. n. 9, 21 *ἐς ἄταν σπεῦδεν ὅμιλος ἱκέσθαι*. i. 7, 63 *ἔσσυνται κελαδῆσαι*. frgm. 74, 4 *ἐσσυμένα ἐλαύνειν τι νεώτερον*. frgm. 45, 10 *γόνον ὑπάτων πατέρων μελπέμεν ἔμολον*. n. 1, 6 *σέθεν ὕμνος ὁρμᾶται, θέμεν αἶνον*. ol. 8, 5 *μαιομένων* — *λαβεῖν*.

Consecutionem quandam significat etiam infinitivus conjunctus cum verbis excitandi et prohibendi: p. 11, 23 *ἔκνισέ νιν* — *ὄρσαι χόλον*. p. 3, 55 *ἔτραπεν αὐτὸν* — *κομίσαι*. p. 9, 45 *παρφάμεν*. n. 1, 7 *ὀτρύνω* — *ζεῦξαι*. ol. 6, 87 *ὄτρυνον* — *κελαδῆσαι*. p. 4, 40 *νιν ὤτρυνον θεραπόντεσσι* — *φυλάξαι*.

p. 4, 170 *ὤρνυεν* — *φαινέμεν*. ol. 11, 24 *ἀεῖσαι ὦρσαν*. ol. 13, 12 *ὀρνύει λέγειν*. p. 9, 66 *ἔντυεν* — *κραίνειν*. frgm. 87, 5 *ἀπαγορίας ἔπορεν* — *δρέπεσθαι*. n. 11, 23 *ἔσχον* — *πειρᾶσθαι*. n. 4, 33 *τὰ μακρὰ δ' ἐξενέπειν ἐρύκει με τεθμός*. i. 1, 60 *πάντα δ' ἐξειπεῖν ἀφαιρεῖται ὕμνος*. frgm. 253 *νικώμενοι ἄνδρες ἀγρυξίᾳ δέδενται οὐ φίλων ἐναντίον ἐλθεῖν*. i. 4, 24 *μὴ φθόνει κόμπον ἀοιδᾷ κιρνάμεν*. p. 4, 33 *κώλυεν μεῖναι*. ol. 9, 78 *παρηγορεῖτο* — *μὴ ταξιοῦσθαι*; in quo uno loco infinitivo cum verbis prohibendi conjuncto *μή* additum est; semel (frgm. 253) *οὐ* legitur, quare consecutionis notionem in eo infinitivo praevaluisse apparet.

c) Interdum non ad certum quoddam nomen sive verbum, sed ad totam sententiam se applicat infinitivus consecutionem indicans: ol. 1, 69 *ἀνεφρόντισε γάμον, Πισάτα παρὰ πατρὸς εὔδοξον Ἱπποδάμειαν σχεδέμεν* (ubi infinitivus amplius illustrat et explicat sententiam: *ἀνεφρόντισε γάμον*). p. 10, 17 *ἕσποιτο μοῖρα, ἀγάνορα πλοῦτον ἀνθεῖν*. i. 3, 61 *προφρόνων Μοισᾶν τυχοῖμεν, κεῖνον ἅψαι πυρσὸν ὕμνων*.

d) *ὥστε* cum infinitivo legitur apud Pindarum ol. 9, 74 et ter in uno carmine n. 5, 1. 34. 50. Deesse videtur *ὥστε* p. 10, 48. ol. 3, 4

Cum indicativo *ὥστε* nunquam apud Pindarum legitur.

ὡς post comparativum et disjunctivam particulam *ἤ* positum est ol. 13, 109: *μάσσον' ἢ ὡς ἰδέμεν visu ampliora*.

Hoc loco memorabo etiam *πρίν*, quod cum infinitivo (ubique aoristi) conjunctum est: p. 2, 92. p. 3, 9, ubi longe praecedit pronomen, quod objectum est infinitivi: *τὸν μὲν Φλεγύα θυγάτηρ πρὶν τελέσσαι* — *κατέβα*. p. 9, 113. n. 8, 19. i. 3, 50; subjectum per accusativum additum est infinitivo cum *πρίν* conjuncto n. 7, 73. 8, 51. 9, 26 (ter cum indicativo conjunctum est *πρίν*).

3. Praeter ea, quorum passim mentionem feci, verba inveniuntur cum infinitivo conjuncta:

Verba appetendi: *ματεύω Ζεὺς γενέσθαι* i. 4, 16. *θεὸς γενέσθαι* ol. 5, 24. *μαστεύω* n. 8, 44 *θέσθαι*. p. 4, 35 *δοῦναι*. *ἔραμαι* n. 1, 31 *ἔχειν*. p. 4, 92 *ἐπιψαύειν*. *φιλέω* p. 1, 90 *κλύειν*. n. 1, 12 *μεμνᾶσθαι*. p. 3, 18 *ὑποκουρίζεσθαι*. *ποθέων ζεῦξαι* ol. 13, 62.

Etiam substantiva, quibus appetendi notio inest, cum verbis conjuncta sequitur infinitivus: n. 4, 35 *ἴυγγι ἕλκομαι ἦτορ — θιγέμεν*. ol. 3, 33 *τῶν νιν γλυκὺς ἵμερος εἶχεν — φυτεῦσαι*; et eodem modo ol. 1, 40 *τότ' Ἀγλαοτρίαιναν ἁρπάσαι, δαμέντα φρένας ἱμέρῳ ποτὶ δῶμα Διὸς μεταβᾶσαι* infinitivum *μεταβᾶσαι* conjungo cum verbis *δαμέντα ἱμέρῳ*, quod simplicius mihi videtur quam conjungere duos infinitivos.[1]) Quare etiam Lehrsii conjectura *χρυσέαισι δ' ἀν' ἵπποις*, quamvis aptissima, non necessaria mihi videtur.

Verba consilium sive voluntatem significantia: *βουλεῦσαι* n. 8, 37 *τρέψαι*. *νοέω* n. 10, 86 *ἀποδάσσασθαι*. *ἐθέλω* et *μέλλω* saepe.

Verba rogandi: *εὔχομαι* p. 4, 293 *ἰδεῖν*. ol. 8, 86 *μὴ θέμεν*. ol. 3, 2 *ἀδεῖν*. p. 5, 124 *δόμεν*. 8, 70 *βλέπειν*. 4, 97. 9, 104 (100). *ἔμμεν*. i. 5, 12 *δέξασθαι*. n. 9, 54 *κελαδῆσαι*. *αἰτέω* n. 9, 30 *ὀπάζειν*. ol. 5, 20 *δαιδάλλειν*. p. 12, 1 *δέξαι*. i. 7, 5 *καλέσσαι*.

Verba dicendi et pronuntiandi: *εὔχοντο οὔτ' ἰδεῖν οὔτ' ἀκοῦσαι* ol. 6, 53. *κατεφαμίξεν* ol. 6, 56 *καλεῖσθαι* (*jussit eum vocari*). *φαμί* = dico saepe; etiam imperandi notione praeditum n. 3, 28 *Αἰακῷ σε φαμὶ γένει τε Μοῖσαν φέρειν*, quod dubium videbatur Kruegero Dial. Synt. 55, 3, 13. — *λέγω*, *ἐννέπω*, *προςεννέπω* saepe. *γράφω* = *praecipio* n. 6, 8 *δραμεῖν*. *κέλομαι* et *κελεύω* saepe, ubique cum inf. aor. *πιθεῖν* = *persuadere* cum inf. aor. p. 1, 59. 3, 65.

Verba promittendi: *ἐγγυάομαι* ol. 10, 19 *μή νιν ἀφίξεσθαι* (ubi omissum est subjectum). *κατανεύω* n. 1, 14 *ὀρθώσειν*. n. 5, 35 *ὥστε πράξειν*. *νεύω — νιν ἔσσεσθαι* ol. 7, 67. *ὄμνυμι* p. 4, 166 *προήσειν*. *ἀπομνύω μὴ — ὄρσαι* n. 7, 71. *μισθῷ συνετίθευ — παρέχειν* p. 11, 41.

Memorabilis videtur infinitivus conjunctus cum verbo *αἰνέω* i. 4, 66 (53) *Πυθέαν — εὐθυπορῆσαι*.

Inter verba sentiendi memorandum videtur *ἀκούω* n. 4, 79 *ἵν' ἀκούομεν — πάτραν τεὰν ἔμμεναι*. *ὁράω* et *εἶδον*

---

1) Eandem explicationem proposuit A. Grumme in programmate Bielefeldensi 1866. pag. 12; quam si acceperis, concupiscendi sola notio tribuenda erit ei vocabulo (aeque ac ol. 3, 35) apud Pindarum, non amoris.

ubique cum participiis conjuncta sunt. *οἶδα* cum conj. *ὅτι* n. 4, 43. ol. 2, 62 (57).

Verba exspectandi: *μενοινάω* ol. 1, 58. p. 1, 43. *μένω* p. 3, 16 (ubique inf. aor.). *ἔλπομαι* cum inf. praes. n. 4, 92. frgm. 33, 1 (= *putare*). ol. 1, 64. cum inf. aor. p. 4, 243. n. 6, 67. 7, 20. p. 1, 43. (*ἐλπίδ' ἔχω — εὑρέσθαι* p. 3, 111). cum inf. fut. p. 10, 58. ol. 1, 109. *πέποιθα* = *confido* ol. 1, 103 *μὴ δαιδαλωσέμεν*.

4. a) Subjecti locum in sententia etiam apud Pindarum non raro tenet infinitivus.

Ita conjunctus est cum tertia persona verborum impersonalium quae dicuntur: *ἔοικεν* ol. 13, 98. n. 4, 32 (cum accusativo subjecti). i. 1, 52 (46) (cum dat.). frgm. 171, 5. *ἐπέοικεν* n. 7, 95 (cum dat.). *ἐοικός ἐστι* ol. 1, 35. n. 2, 10. frgm. 49, 2. *πρέπει* ol. 2, 50 (cum acc. subjecti). p. 4, 147. 5, 43. 104. n. 7, 82. frgm. 86, 1 (cum dat.). *δεῖ* semel ol. 6, 28. *εἴη* p. 1, 29. 2, 96. i. 1, 64. *ἦν ἀλάθειαν ἰδεῖν* n. 7, 25. *χρή* saepe, cum infinitivo aor. et praes. *χρεών* p. 2, 52. n. 11, 17. p. 3, 2. *παρέχει* sensu intransitivo = *in promptu est* i. 7, 69 *τὸν αἰνεῖν ἀγαθῷ παρέχει*.

Nec minus ponitur infinitivus cum neutro adjectivi, aut singularis: n. 7, 77 *εἴρειν στεφανοὺς ἐλαφρόν*. n. 10, 45 *οὐ δυνατὸν — ἐξελέγχειν*. cf. n. 8, 46. n. 7, 55. frgm. 107. — p. 10, 63 *ἀτέκμαρτον προνοῆσαι*. p. 3, 115 *παύροις πράξασθ' εὐμαρές*. n. 3, 21 *περᾶν εὐμαρές*. i. 5, 56 *ἐμοὶ μακρόν ἐστιν ἀναγήσασθαι*. i. 7, 33 *πεπρωμένον ἦν, θεὸν τεκεῖν* (cum acc. subjecti); vides etiam pronomen possessivum cum articulo: i. 7, 38 *τὸ μὲν ἐμὸν* (i. e. *meum consilium*) — *ὀπάσσαι*. p. 11, 41 *τὸ δὲ τεὸν — ταρασσέμεν* (Mommsenus: *τὸ δ' ἐτεόν*); aut pluralis (exempla vide §. 2, 5).

Substantiva quoque ita usurpantur: i. 1, 45 *κοῦφα δόσις ἀνδρὶ σοφῷ — ὀρθῶσαι*. n. 8, 21 *νεαρὰ δ' ἐξευρόντα δόμεν βασάνῳ ἅπας κίνδυνος*, ubi substantivum post infinitivum positum est. i. 7, 40 *ὄντ' εὐσεβέστατον φάτις τράφειν πεδίον*; et genetivus nominis praedicati in modum constructus est cum infinitivo: *μακροτέρας ἀριθμῆσαι σχολᾶς* (*ἐστιν*). n. 10, 46.

b) Nonnunquam etiam appositionis in modum additus est infinitivus substantivis: n. 9, 6 *ἔστι δέ τις λόγος ἀνθρώ-*

πων, τετελεσμένον ἐσλὸν μὴ χαμαὶ σιγᾷ καλύψαι. ol. 2, 92 *αὐδάσομαι ἐνόρκιον λόγον, τεκεῖν.* p. 4, 85 *πόθον τόνδ' αὖεν Ἥρα, μή τινα μένειν.* p. 2, 22 *Ἰξίονα φαντὶ ταῦτα λέγειν — τὸν εὐεργέταν — τίνεσθαι.* p. 9, 41 *τοῦτ' αἰδέονται — τυχεῖν.* n. 3, 29 *ἕπεται δὲ λόγῳ δίκας ἄωτος· ἐσλὸς αἰνεῖν aequitatis flos, (scilicet) ut laudes bonos viros.*

Quibus locis adnumero n. 1, 27 *ἐσσόμενον προϊδεῖν συγγενὲς οἷς ἕπεται*, ubi in interpungendo Mommsenum sequor, motus imprimis comparatione structurae etiam audacioris, quae legitur n. 10, 50 *οὐ θαῦμά σφισιν ἐγγενὲς ἔμμεν ἀεθληταῖς ἀγαθοῖσι*, ubi infinitivum cum dativo conjunctum appositum esse puto ad neutrum adjectivi *ἐγγενές*, quod subjecti locum tenet, ut construendum sit: *non mirum (est) ingenium eorum, ut sint boni certatores*; lenior esset structura, si additus esset articulus: *τό σφισιν ἐγγενὲς, ἔμμεν* —. Certe etiam alibi apud Pindarum subjecti locum in sententia longae interdum et e multis verbis compositae locutiones tenent, §. 14, 4, d.

c) In eodem carmine infinitivus etiam objecti loco positus est: n. 10, 58 *τοῦτον, ἢ πάμπαν θεὸς ἔμμεναι οἰκεῖν τ' οὐρανῷ, εἵλετ' αἰῶνα*; cf. infra ol. 2, 107 (97).

d) Articulus praepositus est infinitivo aliquoties apud Pindarum, ita tamen ut infinitivus ubique teneat vim verbi et cum objecto aliisve supplementis plerumque conjunctus sit; et subjecti quidem vices tenet infinitivus his locis: ol. 9, 37 *τό γε λοιδορῆσαι θεοὺς ἐχθρὰ σοφία.* 38 *καὶ τὸ καυχᾶσθαι παρὰ καιρὸν μανίαισιν ὑποκρέκει.* ol. 8, 59. 60 *τὸ διδάξασθαι δέ τοι εἰδότι ῥᾴτερον· ἄγνωμον δὲ τὸ μὴ προμαθεῖν.* p. 1, 99 *τὸ δὲ παθεῖν εὖ πρῶτον ἄθλων· εὖ δ' ἀκούειν* (sine articulo!) *δευτέρα μοῖρα.* p. 2, 56 *τὸ πλουτεῖν δὲ σὺν τύχᾳ πότμου σοφίας ἄριστον.* n. 5, 18 *καὶ τὸ σιγᾶν πολλάκις ἐστὶ σοφώτατον.* n. 8, 44 *τὸ δ' αὖτις τεὰν ψυχὰν κομίξαι οὔ μοι δυνατόν.* ol. 2, 56 (51) *τὸ δὲ τυχεῖν πειρώμενον ἀγωνίας παραλύει δυςφρόνων.*

Objecti loco infinitivus cum articulo positus est semel ol. 2, 107 (97), ubi scriptum est in codicibus: *τὸ λαλαγῆσαι θέλων κρύφον τε θέμεν ἐσλῶν καλοῖς ἔργοις*, ut *τὸ λαλαγῆσαι* objecti in modum conjungendum sit cum verbo *θέλων*, quod nunquam alibi accusativum objecti asciscit. Quare mihi

non dubium est, eum locum corruptum esse, et scripsisse puto Pindarum [1]: *τὸ λαλαγῆσαι θέλων κρύφον τιθέμεν ἐσλῶν καλοῖς ἔργοις* = *rumusculos suos volentes reddere occultatores praeclarorum facinorum*; quam structuram a Pindarico sermone non abhorrere docet comparatio loci p. 2, 39 *ἄντε δόλον αὐτῷ θέσαν Διὸς παλάμαι*, ubi prorsus eundem in modum usurpatum est verbum *τίθημι*.

Infinitivus cum genetivo vel dativo articuli conjunctus in Pindari carminibus non exstat.

5. Pauca addam de casibus, qui apud Pindarum cum infinitivo conjunguntur.

Nominativus ponitur, ubi eadem persona subjectum est enuntiationis primariae et infinitivi, ut notum; ita saepissime participia: n. 1, 31 *ἔραμαι — κατακρύψας ἔχειν*. n. 7, 71 *ἀπομνύω μὴ προβὰς — ὄρσαι*. Semel vero post conjunctionem *ὥστε* idem subjectum accusativo repetitum est: n. 5, 1 *οὐκ ἀνδριαντοποιός εἰμι, ὥστε με ἐλινύσοντα ἐργάζεσθαι ἀγάλματα*; non prorsus eadem est structura ol. 1, 104 *πέποιθα μή τινα — ἄμμε κυριώτερον δαιδαλωσέμεν*, ubi post primam personam singularis numeri addita est pronomen personale pluralis, si vera est ibi scriptura Mommseni.

Accusativi cum infinitivo conjuncti usum ita ortum esse existimo [2], ut nomen accusativo positum primitus esset objectum verbi, cui infinitivus explicandi gratia adderetur. Cujus originis testimonia etiam apud Pindarum non desunt; nam in exemplis supra allatis: i. 4, 66 (53) *αἰνέω Πυθέαν εὐθυπορῆσαι*. ol. 9, 63 *ἐκάλεσσέ νιν ἰσώνυμον ἔμμεν* accusativus prorsus adhuc objecti vim tenere videtur; paulo liberius positus est sequente infinitivo p. 4, 19 *κεῖνος ὄρνις ἐκτελευτάσει μεγαλᾶν πολίων ματρόπολιν Θήραν γενέσθαι*. n. 1, 24 *λέλογχε μεμφομένοις ἐσλοὺς ὕδωρ κάπνῳ φέρειν ἀντίον*, *nactus est probos qui obviam ferrent vituperatoribus aquam velut fumo*. ol. 1, 30 *χάρις καὶ ἄπιστον ἐμήσατο πιστὸν*

---

1) Eandem scripturam defendit Friese pag. 41, qui cogitat „de accusativo absoluto *τὸ λαλαγῆσαι*, qui proxime accedit ad vim dativi *τῷ λαλαγῆσαι*.“

2) Curtius Gramm. §. 567.

εἶναι, cum quibus verbis nescio an etiam alii accusativos et infinitivos ita conjunxerint.

Accusativus is, qui subjectum quod dicitur infinitivi indicat, interdum omittitur, praesertim ubi alius praeterea accusativus additus est: i. 7, 29 *ἄλοχον εὐειδέα· ἐθέλων ἕκαστος ἐὰν ἔμμεν* (sc. *αὐτήν*). ol. 6, 70. 10, 17. 4, 243. al.; aut ubi ex sententia totius loci subjectum notum est ol. 5, 19. ol. 8, 86. p. 9, 91. 8, 68.

Saepe accusativus participii additus est infinitivo, nullo subjecto expresso: n. 1, 25 *χρὴ ἐν εὐθείαις ὁδοῖς στείχοντα μάρνασθαι*. cf. n. 8, 4. 20. i. 3, 66. 7. 15. frgm. 150, 5. al.

Semel per anacoluthiam infinitivum sequitur nominativus participii: p. 9, 91 *Αἰγίνᾳ τε γὰρ φαμὶ — τρὶς δὴ πόλιν τάνδ' εὐκλεΐξαι* (sc. *Τελεσικράτην*), *σιγαλὸν ἀμαχανίαν ἔργῳ φυγών*, quod participium ad Pindarum referre ineptum mihi videtur.

D a t i v u s participii, pertinens ad alterum dativum positum in enuntiatione primaria, interdum appositus est infinitivo: ol. 3, 4 *Μοῖσα παρέστα μοι, εὑρόντι — ἐναρμόξαι*. n. 10, 50 *σφισὶν ἐγγενὲς, ἔμμεν ἀεθληταῖς ἀγαθοῖσι*. i. 1, 53 (46) *ἄμμι δ' ἔοικε — ἀμειβομένοις κελαδῆσαι*. ol. 9, 3 *ἄρκεσε — ἁγεμονεῦσαι κωμάζοντι Ἐφαρμόστῳ*.

Sed accusativus positus est, quamvis antecedat dativus: i. 5, 20 *τέθμιόν μοι φαμὶ σαφέστατον ἔμμεν, τάνδ' ἐ π ι σ τ ε ί χ ο ν τ α νᾶσον ῥαινέμεν εὐλογίαις*; cui exemplo addendus etiam ejusdem carminis versus 8: *εἴη δὲ, σωτῆρι π ο ρ σ α ί ν ο ν τ α ς — σπένδειν*, quum *εἴη* dativum nominis asciscat (cf. Theognis 561: *εἴη μοι, τὰ μὲν αὐτὸν ἔχειν*).

Singulariter praeterea accusativo positum est subjectum infinitivi, quamvis antecedens participium, quod pertinet ad id subjectum, per dativum conjunctum sit cum verbo: ol. 2, 46 *ὅθεν σπέρματος ἔχοντι ῥίζαν πρέπει τὸν Αἰνησιδάμου — τυγχανέμεν*; quamvis enim insolitum sit id anacoluthon, nescio tamen cur Pindarico sermoni non concedendum sit; certe tuentur scripturam *ἔχοντι* et Didymus, qui tertiam personam pluralis eam vocem significare opinabatur, et Aristarchus. [1])

---

1) Contrarium sensum verbis scholiastae inesse mirum in modum contendit Mommsenus.

Genetivus ita infinitivo neque in Homericis neque in Pindari carminibus additur; ol. 1, 9 post *σοφῶν μητίεσσι* pergitur accusativo participii: *ἱκομένους*. —

6. Infinitivus absolute positus etiam apud Pindarum optantis sive imperantis est. Ita vides infinitivum in deorum implorationibus: ol. 13, 109 *ἄνα, κούφοισιν ἐκνεῦσαι ποσίν* (sine subjecto). p. 1, 67 *Ζεῦ τέλει, αἰεὶ διακρίνειν λόγον ἀνθρώπων* (cum acc. subjecti). Accedunt secundum Mommsenum duo loci: p. 5, 27 *παντὶ μὲν θεὸν αἴτιον ὑπερτιθέμεν*, quod alii conjungunt cum praecedentibus verbis: *τῷ σε μὴ λαθέτω*. p. 11. 42: *Μοῖσα, τὸ δ' ἐτεὸν εἰ παρεχέμεν σινέθεν φωνὰν, ἄλλοτ' ἄλλᾳ ταρασσέμεν;* Boeckhius: *τὸ δὲ τεὸν — ταρασσέμεν;*

et ubi praecepta vitae traduntur: i. 3, 33 *καὶ μηκέτι μακροτέραν σπεύδειν ἀρετάν*. frgm. 73, 6 *Σικελίας ὄχημα - ματεύειν*. frgm. 172. 171: *μὴ πρὸς ἅπαντας ἀναῤῥῆξαι τὸν ἀχρεῖον λόγον· ἀλλοτρίοισιν μὴ προφαίνειν τίς φέρεται μόχθος ἄμμιν*. frgm. 126 *ἐλαφρὰν κυπάρισσον φιλέειν, ἐᾶν δὲ νομὸν Κρήτας περιδαῖον*, nisi forte ibi conjungendi erant infinitivi cum praecedentium verborum structura. —

Ad absolute positi infinitivi usum accedere videtur interdum infinitivus, ubi praeclarae sententiae vel legis verba narrantur (§. 12, 4, 6.). —

7. Bis *κέν* additum est infinitivo cum verbo sperandi conjuncto: p. 3, 111 *ἐλπίδ' ἔχω, κλέος εὑρέσθαι κεν*. ol. 1, 109 *ἔτι γλυκυτέραν κεν ἔλπομαι — κλεΐξειν*, ubi praeter codices etiam scholiastarum explicatio (qui in hoc loco omnes utuntur futuro, in priore aoristi infinitivo) defendit infinitivum futuri, quem apud Atticos scriptores cum *ἄν* conjunctum esse negat Madvig. synt. 173, A. 2. — In utroque loco praecedit sententia conditionalis. —

§. 13.

De participiorum usu.

1. Participia primo cum nominibus conjunguntur ita, ut aeque atque adjectiva qualitatem iis semper immanentem signi-

ficent, ut ol. 2, 12 *ὦ Κρόνιε παῖ Ῥέας, ἕδος Ὀλύμπου νέμων.* i. 3, 38 *ὁ κινητὴρ γᾶς Ὀγχηστὸν οἰκέων;* de quo usu nihil videtur apud Pindarum memorandum. —

2. Vario deinde modo ita usurpatur participium, ut nomini appositum memoret de eo aliquid, quod ad eas ipsas, quae narrantur, res pertinet. Quod factum est temporali et causali sensu saepissime apud Pindarum; etiam ubi conceditur aliquid, positum est participium additis particulis *καίπερ* i. 7, 5 *καίπερ ἀχνύμενος; ὅμως* p. 4, 140 *τραχεῖαν ἑρπόντων πρὸς ἐπίβδαν ὅμως; γέ* p. 9, 96 (93) *τό γ' ἐν ξυνῷ πεπονημένον si quidem quid praeclare factum est.* (*πέρ* cum participio ita conjunctum apud Pindarum non inveni, sed adjectivo additum est p. 4, 237: *ἴυξεν ἀφωνήτῳ περ ἄχει*); nec raro participium indicat conditionem, e qua aliquid eventurum est: ol. 9, 104 *σεσιγαμένον οὐ σκαιότερον si tacetur non pejus est.* i. 1, 51 (45) *εὐαγορηθεὶς κέρδος ὕψιστον δέκεται.* n. 8, 15 *σὺν θεῷ φυτευθεὶς ὄλβος ἀνθρώποισι παρμονώτερος.* n. 10, 39 *ἀξιωθείην κεν, ἐὼν Θρασύκλου ξύγγονος, μὴ κρύπτειν.* n. 7, 68 *μαθὼν δέ τις ἂν ἐρεῖ.* Etiam *κέν* additur ejusmodi participio:

a) pro *εἰ* cum optativo positum: ol. 11, 20 *θήξαις δέ κε φύντ' ἀρετᾷ ποτὶ πελώριον ὁρμάσαι κλέος.* n. 4, 93 *αἰνέων κε Μελησίαν — ἔριδα στρέφοι.* p. 10, 62 *τυχών κεν ἁρπαλέαν σχέθοι φροντίδα.*

b) pro *εἰ* cum indicativo praeteriti: n. 9, 34 *Χρομίῳ κεν ὑπασπίζων — ἔκρινας ἄν.* —

3. Absolutum quod dicitur participium paulatim demum e constructionis quasi potestate emancipatum esse exemplis Homericis comprobavit Classen;[1]) etiam apud Pindarum vix decernere possis nonnullis locis, utrum adhuc pendeat de verbo participium an absolute positum sit. Ita genetivum positum vides i. 5, 36 *κύρησε πάντων δαινυμένων* (Mommsenus: *δαινύμενον*). i. 5, 53 *καί νιν ὄρνιχος φανέντος κέκλετ' ἐπώνυμον.* p. 3, 25 *ἐλθόντος εὐνάσθη ξένου λέκτροισιν ἀπ' Ἀρκαδίας.* Ita i. 3, 5 *ζώει μάσσων ὄλβος ὀπιζομένων*, 49: *ἔστιν δ' ἀφάνεια*

---

1) Betrachtungen über Homerischen Sprachgebrauch, Frankfurt a/M. 1853—56. Fasc. III. —

τύχας καὶ μαρναμένων conjungi possunt genetivi cum substantivis *ὄλβος*, *ἀφάνεια*, sed inest jam sententia: quum curantur, quamvis laborent. —

Similiter etiam dativus participii interdum solvi videtur structura, cf. exempla quae attuli §. 6, 5; quibus etiam liberiora videntur n. 1, 46 *ἀγχομένοις χρόνος ψυχὰς ἀπέπνευσε μελέων iis, quum angerentur.* ol. 7, 61 *μνασθέντι δὲ Ζεὺς ἄμπαλον μέλλεν θέμεν.* i. 3, 18: *αἰὼν δὲ κυλινδομέναις ἁμέραις — ἐξάλλαξεν;* et maxime jam ad absolutum participii usum accedere videtur dativus ol. 2, 47 (43) *λείφθη δὲ Θέρσανδρος ἐριπέντι Πολυνείκει mortuo Polynice.* Cf. exempla Homerica apud Classenum, et Herod. II, 47 *ἐμοὶ μέντοι ἐπισταμένῳ.*

Vides initia absolutae constructionis inesse et genetivo et dativo; sed genetivus solus liberrime et vulgatissime ita usurpatus est per totam linguam Graecam. Ita etiam apud Pindarum genetivorum prorsus absolutorum satis magna exstat copia, significantium et tempus: p. 4, 292 *λήξαντος οὔρου.* frgm. hymn. 13 ed. Schneidewin. *ἀντιπνεύσαντος Ζεφύρου.* n. 6, 56 *Μέμνονος οὐκ ἀπονοστήσαντος.* p. 4, 69: *πλευσάντων Μινυᾶν.* p. 1, 80 *ἀνδρῶν καμόντων.* n. 10, 49 *Κάστορος ἐλθόντος.* 59 *φθιμένου Κάστορος.* ol. 6, 15 *νεκρῶν τελεσθέντων.* ol. 3, 19 *βωμῶν ἁγισθέντων.* p. 11, 33 *πυρωθέντων Τρώων.* n. 1, 41 *οἰχθεισᾶν πυλᾶν.* frgm. 45, 13 *οἰχθέντος θαλάμου.* frgm. 10: *κείνων λυθέντων;* ol. 5, 23 *υἱῶν παρισταμένων.* p. 11, 17 *φονευομένου πατρός.* n. 6, 30 *ἀποιχομένων ἀνέρων.* i. 5, 6 *Φυλακίδα νεκῶντος.* frgm. 94 *δείπνου λήγοντος.* frgm. 96, 4 *πρασσόντων μελέων;*

et causam sive conditionem: ol. 3, 39 *εὐίππων διδόντων Τυνδαριδᾶν*, et in similibus locutionibus n. 10, 10. n. 3, 83; frgm. 75, 1. p. 5, 3. 10, 49. — p. 10, 55 *Ἐφυραίων ... προχεόντων.* frgm. 49, 4 *ἁρπαζομένων τῶν ἐόντων.*

Memorabiles videntur praeterea ii loci, in quibus participium sine nominis genetivo positum est: n. 1, 32 *παρεόντων.* p. 8, 43 *μαρναμένων ὦδ' εἶπε;* et in eodem carmine p. 8, 85 *οὐδὲ μολόντων πὰρ ματέρα ἀμφὶ γέλως ὦρσεν χάριν*, ubi *ἀμφί* cum verbo conjungo cum Disseno. p. 4, 232. n. 10, 89: *ὣς ἄρ' αὐδάσαντος.* ol. 13, 15 *ὑπερελθόντων.*

4. Haud raro — quod cum vivido et ad personas omnia referenti ingenio poetae (§. 14, 4) optime convenire videtur — i memoratur actio quaedam, quae causa fuit alicujus rei, darus non ex abstracta illa actione eam rem evenisse dicit, eos ipsos homines, de quibus agitur, substituit tanquam res ejus eventus, actionem ipsam participio iis tribuens. n dixit p. 11, 22: *Iphigeniae immolatio stimulavit Clytaemnestram*, sed: *ipsa Iphigenia immolata;* cujus usus — in Romana lingua frequentissimi, apud Graecos poetas non pariter pervulgati — exempla sunt Pindarica: p. 11, 22 *πότερόν νιν ἄρ' Ἰφιγένει' ἐπ' Εὐρίπῳ σφαχθεῖσα — ἔκνισεν*; p. 3, 102 (*Ἀχιλλεὺς*) *ὦρσεν πυρὶ καιόμενος ἐκ Δαναῶν γόον.* n. 4, 34 *ἐρύκει με τεθμὸς ὧραί τ' ἐπειγόμεναι.* i. 4, 54 (43) *μαρτυρῆσαι κεν πόλις Αἴαντος ὀρθωθεῖσα.* p. 5, 21 *τῷ σε μὴ λαθέτω Κυράνα — ἀειδομένα* e Mommseni scriptura. p. 3, 55. 4, 151. al.

5. Praedicati denique modo participium additur multis verbis etiam apud Pindarum.

a) verba statum aliquem sive conditionem significantia:

εἰμί n. 10, 18 *βαίνοισ' ἐστί.* n. 9, 32 *ἐντὶ φίλιπποι καὶ κτέανων ψυχὰς ἔχοντες κρέσσονας.* Sed aegre fero interpretationem loci difficillimi p. 2, 72 *γένοι' οἷος ἐσσὶ μαθών* = *οἷος ἔμαθες* (*εἶναι*).

ἔχω cum participio aoristi conjunctum, usitatum apud tragicos, neque Homericum est neque Pindaricum.

τυγχάνω n. 1, 49 *τύχον ἀρήγοισαι.* Sed n. 7, 11 *εἰ δὲ τύχῃ τις ἔρδων* aliter explicare malim, cf. §. 14, 3.

διέρχομαι i. 3, 22 *θάλλοντες διέρχονται βίου τέλος.* ol. 8, 29 *τοῦτο πράσσων μὴ κάμοι.*

λανθάνω ol. 6, 36 *ἔλαθε κλέπτοισα.* ol. 11, 3 *ὀφείλων ἐπιλέλαθα* (*oblitus sum*). ol. 1, 64 *λαθέμεν ἔρδων.*

φαίνω ol. 9, 103 (96). i. 1, 29 (25). — (cum inf. p. 10, 40).

σχεῖν = *arcere* similiter conjunctum est cum accusativo participii i. 3, 72 *ὄφρα — ἐρέφοντα σχέθοι ut eum impediret, quominus — tegeret.*

b) verba sentiendi, in quibus aut ad subjectum aut ad objectum pertinet participium:

Verbi *οἶδα imperativus tribus locis* ita positus est: ol. 6, 8 *ἴστω — πόδα ἔχων*. n. 9, 45 *λαχών*. i. 6, 27 *αὔξων*; pariterque usurpatus est imperativus verbi *μέμναμαι* n. 11, 15 *μεμνάσθω — περιστέλλων*. Similia sunt: i. 1, 68 (60) *ψυχὰν Ἀΐδᾳ τελέων οὐ φράζεται*.

p. 8, 13 *μάθεν ἐξερεθίζων*. n. 7, 18 *μέλλοντ' ἄνεμον ἔμαθον*. *ἀΐω* p. 12, 10 *λειβόμενον θρῆνον*. p. 3, 91 *μελπομενᾶν Μοισᾶν*. — *ἀκούω* et *κλύω* nunquam apud Pindarum cum tali participio conjuncta leguntur.

γιγνώσκω p. 4, 34 *ἐπειγομένους*. p. 9, 82 *ἔγνων Ἰόλαον οὐκ ἀτιμάσαντά νιν*. — *ὁράω* et *εἶδον* ol. 7, 62. 11, 104. p. 2, 54. 4, 101. 5, 84. 10, 26. (nunquam cum acc. et inf.). — *εὑρίσκω τῶν ἂμ πόλιν τὰ μέσα — τεθαλότα* p. 11, 53.

c) verba affectum animi significantia:

χαίρω n. 8, 48 *ἱείς*. *τέρπομαι* frgm. 242, 3 *διαστείβων*. *ἄχνυμαι φθόνον ἀμειβόμενον τὰ καλὰ ἔργα* p. 7, 18. cf. p. 4, 151: *οὔ με πονεῖ τεὸν οἶκον ταῦτα πορσύνοντ' ἄγαν*.

d) verbum indicandi frgm. 96, 5 *δείκνυσι ἐφέρποισαν κρίσιν*.

§. 14.

Observationes quaedam de universa Pindari dictione.

Singulis syntaxeos Pindaricae partibus perlustratis postremo ea, quae per totam quaestionem maxime in construendis et verbis et sententiis Pindaro singularia videbantur, colligere et cum nonnullis quae de universa ejus elocutione sese offerunt animadversionibus componere conabor.

1. Primo si breviter respicimus copiam locutionum et constructionum, quae praesto erant Pindaro, in sententiis construendis simplicissimus videtur fuisse poeta, neque multum Homericam consuetudinem excessisse. Ita oratio obliqua interdum constructioni omnino non subjecta est, saepissime simplicissime per indicativum cum verbo sententiae primariae conjungitur (§. 11, 2); nec minus in periodis conditionalibus

simplicissima sententiarum conjunctio per indicativum multo praevalet (§. 11, 4); conjunctionibus iisdem fere, quibus Homerus, utitur Pindarus [1] (§. 11, 2. 5); quin etiam nonnulla sententiarum conjungendarum genera apud Atticos vulgata neque aliena ab Homericis carminibus, non inveniuntur apud Pindarum, velut optativi usus in enuntiationibus temporalibus (§. 11, 5); conjunctae *δέ τε* particulae (Boeckh. not. p. 10, 69); *γέ* particula in enuntiationibus conditionalibus posita (pag. 65); *ἄν* et *κέν* particulae conjunctae cum *εἰ* (§. 11, 4), et in sententiis finalibus positae (§. 11, 3); *ὥστε* cum indicativo conjunctum (§. 12, 2, d.); bis tantum exstat plusquamperfectum (§. 10, 4), omnino deest paulopostfuturum (10, 6); neque apud Homerum neque — excepto uno loco — apud Pindarum invenitur praesens historicum (§. 10, 1).

Simplex plerumque sententiaeque progressui quam maxime adaptata collocatio quoque verborum, quoad ego eam observavi, mihi esse videtur apud Pindarum. Cui sententiae non contrarium est, quod saepe ita conformata est enuntiatio, ut initio posita sit vox constructione jungenda cum altera versus finem sententiae sive ultimo loco collocata; hac enim verborum collocatione efficitur, ut periodus interdum satis longa contineatur et in unum quasi coerceatur. Ita, quamvis separata, arctissime conjungenda sunt

a) adjectiva cum substantivis: i. 5, 22 *μύριαι ἔργων καλῶν τέτμηνθ᾽ ἑκατόμπεδοι ἐν σχερῷ κέλευθοι.* n. 9, 37 *παῦροι δὲ βουλεῦσαι φόνου παρποδίου νεφέλαν τρέψαι ποτὶ δυςμενέων ἀνδρῶν στίχας χερσὶ καὶ ψυχᾷ δυνατοί.* i. 2, 15 *Δωρίων αὐτῷ στεφάνωμα πέμπεν ἀναδεῖσθαι σελίνων.* i. 2, 39 *ξεινίαν — τράπεζαν.* i. 7, 49 *Μύσιον — πεδίον.* ol. 9, 120 (112) *Αἰάντεον — βωμόν.* n. 10, 58 *τοῦτον — αἰῶνα.*

---

1) Singula annotabo: *δέ* in apodosi positum ol. 3, 43; *καί* superlativo superadditum p. 6, 44. — *ἢ ῥα* postpositum p. 9, 32; cf. God. Hermannum ad Ajacem 177. — *οὔτε* semel positum ad duas sententiae partes referendum p. 6, 48. p. 10, 29. 41. — *ὧδε* non invenitur apud Pindarum nisi in certa locutione *ὧδε εἶπεν* p. 4, 229. 8, 45. *ὧδ᾽ ἀμείφθη* p. 4, 102; nunquam igitur apud Pindarum localis significatio inest ei vocabulo, quam apud Homerum inesse negavit Aristarchus.

Quin etiam duas sententias ita amplectitur adjectivum cum substantivo conjunctum frgm. 58, 8 *τέσσαρες ὀρθαὶ — ἀκαμαντοπέδιλοι κίονες.* —

Saepe adjectivis praepositus est articulus, qui quantum in continendis longis sententiis et locutionibus Pindaro fuerit adjumentum, demonstravi §. 8, 2, d, unde etiam alia huc referri possunt exempla.

ol. 2, 15 *τῶν δὲ πεπραγμένων ἐν δίκᾳ τε καὶ παρὰ δίκαν ἀπόνητον οὐδ' ἂν χρόνος ὁ πάντων πατὴρ δύναιτο θέμεν ἔργων τέλος.*

ol. 10, 19 *τὸ γὰρ ἐμφυὲς οὔτ' αἴθων ἀλώπηξ οὔτ' ἐρίβρομοι λέοντες διαλλάξαιντο ἦθος.*

p. 7, 48 *ὁ δὲ καμὼν — Ἄδραστος ἥρως.* ol. 7, 13 *τὰν ποντίαν — Ῥόδον.* p. 8, 22 *ἁ δικαιόπολις — νᾶσος.*

Sequitur adjectivum p. 4, 9 *καὶ τὸ Μηδείας ἔπος ἀγκομίσαιθ' ἑβδόμᾳ καὶ σὺν δεκάτᾳ γενεᾷ Θήραιον.*

Quin etiam tota sententia per parenthesin interposita est inter articulum cum substantivo conjunctum et participium quod ad id substantivum pertinet n. 11, 33 *τό τε Πεισάνδρου πάλαι αἷμ' ἀπὸ Σπάρτας· — Ἀμύκλαθεν γὰρ ἔβα σὺν Ὀρέστᾳ Αἰολέων στρατιὰν χαλκεντέα δεῦρ' ἀνάγων· — καὶ παρ' Ἰσμηνοῦ ῥοὰν κεκραμένον ἐκ Μελανίππου μάτρωος.*

b) articulus cum substantivo:

ol. 10, 43 *ὁ δ' ἄρα — Διὸς ἄλκιμος υἱός.* n. 5, 34 *ὁ δ' ἐφράσθη κατένευσέν τέ οἱ ὀρσινεφὴς ἐξ οὐρανοῦ Ζεὺς ἀθανάτων βασιλεύς.* cf. n. 9, 24 *ὁ δὲ — Ζεύς.* — Simile est p. 3, 51: *τοὺς μὲν μαλακαῖς ἐπαοιδαῖς ἀμφέπων, τοὺς δὲ προσανέα πίνοντας ἢ γυίοις περάπτων φάρμακα, τοὺς δὲ τομαῖς ἔστασεν ὀρθούς.* — ol. 12, 6 *αἵ γε μὲν ἀνδρῶν — ἐλπίδες.*

Eodem modo ego ol. 1, 93 *τὸ δὲ κλέος τήλοθεν δέδορκε τᾶν Ὀλυμπιάδων ἐν δρόμοις Πέλοπος* conjungere malim *κλέος Πέλοπος*, contra Boeckhium; ita enim multo melius cum antecedentibus sententia cohaeret.

c) Etiam accusativus objecti et verbum, ad quod is accusativus pertinet, extremas enuntiationis partes tenent: i. 5, 19 *ὔμμε τ', ὦ χρυσάρματοι Αἰακίδαι, τέθμιόν μοί φαμι σαφέστατον ἔμμεν, τάνδ' ἐπιστείχοντα νᾶσον ῥαινέμεν εὐλογίαις.*

Interdum etiam magis artificiose ita conexa et coartata videntur verba, ut alternatim inter se conjungendae sint sententiae partes: ol. 7, 70 ὀξειᾶν ὁ γενέθλιος ἀκτίνων πατήρ. i. 3, 60 ἐργμάτων ἀκτὶς καλῶν ἄσβεστος αἰεί. i. 3, 61 ἅψαι πυρσὸν ὕμνων καὶ Μελίσσῳ παγκρατίου στεφάνωμ᾽ ἐπάξιον ἔρνεϊ Τελεσιάδα. cf. p. 9, 1. 17. n. 4, 44; — quod tamen vix amplius persequendum videtur, ne adeo severis firmisque legibus cohibere videamur poetae sermonem.

Memorandum videtur praeterea i. 5, 17 Κλωθὼ κασιγνήτας τε προςεννέπω ἑσπέσθαι κλυταῖς ἀνδρὸς φίλου μοίρας ἐφετμαῖς, ubi simplex verborum collocatio interrumpitur graviter voce μοίρας, ad initium enuntiationis pertinentis; et prorsus simile est i. 6, 46 δεσπόταν ἐθέλοντ᾽ ἐς οὐρανοῦ σταθμοὺς ἐλθεῖν· μεθ᾽ ὁμάγυριν Βελλεροφόνταν Διός. Quae tamen talia sunt, quae ipsa cujusque docti lectoris mente optime sentiantur, neque vero certa ratione atque disciplina distingui possint.

Nonnulla praeterea notavi singula (cf. etiam Godofredum pag. 27):

a) Conjunctiones postpositas:

ol. 2, 28 ἐν καὶ θαλάσσᾳ. ol. 7, 26 ἐν καὶ τελευτᾷ. (sed p. 1, 35 rectius videtur quod scripsit Mommsenus καὶ τελευτᾷ.) p. 10, 58 ἐν καὶ παλαιτέροις. i. 6, 30 ἀπὸ καὶ θανών. p. 4, 10 ἑβδόμᾳ καὶ σὺν δεκάτᾳ γενεᾷ. ol. 6, 25 ἵκωμαί τε πρὸς ἀνδρῶν καὶ γένος; ol. 8, 33 ἦν ὅτι — πεπρωμένον. p. 2, 31 ἥρως ὅτι — ἐπέμιξε. i. 3, 42 λάμπει Ἑωςφόρος θαητὸς ὡς ἄστροις ἐν ἄλλοις; οὔ cum quadam vi in fine sententiae positum ol. 7, 48; μή postpositum n. 8, 37; i. 6, 3 ἀνίκα; ol. 9, 98 ὁπότε;

b) relativum pronomen postpositum:

ol. 9, 120 (112) Αἰάντεον τ᾽ ἐν δαίθ᾽ ὃς Ἰλιάδα νικῶν ἐπεστεφάνωσε βωμόν (Boeckh.). ol. 2, 23 ἔπαθον αἳ μεγάλα. (Sed p. 3, 89 οἵ demonstrativo sensu accipere malim.)

Verbo aliquanto antepositum est pronomen p. 3, 8 τὸν μὲν — Φλεγύα θυγάτηρ πρὶν τελέσσαι — κατέβα.

Certe collocatione verborum interdum liberius quam Homerus atque alii quoque poetae uti videtur Pindarus. —

In singulis vero sententiae partibus contigit Pindaro, ut multo major copia structurarum ei praesto esset quam Homero, minus autem ejus sermo, quam postea Atticorum scriptorum oratio, certis legibus loquendique formulis obstrictus esset; quare Pindarum, in conectendis enuntiationibus simplicissimum, summa in singulis locutionibus uti videmus libertate et varietate.

Ita articulo vario modo usus est Pindarus, nunquam tamen necessario (§. 8); neutra adjectivorum saepissime tanquam substantiva usurpavit (§. 1, 5); accusativos et adjectivorum et interdum substantivorum posuit adverbiorum loco, ita tamen, ut non ubique eae voces casuum exuerent notionem (§. 4, 3—5); — etiam alios casus interdum tanquam adverbia usurpavit (§. 6, 11. 13); praepositionibus vario modo et nonnunquam singulariter usus est (cf. Bosslerum et §. 6, 8 sq.); modo casibus solis (accusativo §. 49; dativo §. 6, 11—13), modo praepositionibus locum, tempus aliasve determinationes notavit; promiscue usus est (aeque atque Homerus) dativo instrumentali et accusativo respectivo (§. 6, 9); activo et medio (§. 9, 2); genetivo et dativo post verba tangendi §. 6, 7; etc.

2. Ea, quam dixi, copia locutionum saepissime ita usus est Pindarus, ut variaretur periodorum structura. Longe enim abest vates Thebanus ab accurata et exquisita dictionis distributione, quae similes sententiae partes simili etiam enuntiationum verborumque constructione denotare studet, sed ubique denuo surgente oratione recentes semper et mutatas loquendi formas promit mens multis ac praeclaris factis celebrandis intenta vivideque ab alia ad aliam rem decurrens.

Quare saepe periodi partes, quae idem valent, quod ad sententiam attinet, vario modo conformatae sunt, ut interdum altera alteri subjiceretur. Quo in genere vulgatum est apud Pindarum, actionibus per participia enumeratis ultimam (vel ultimas) verbo finito addere (cf. Disseni expl. i. 3, 11):

i. 3, 9—13 *ἔστι Μελίσσῳ μοῖρα πρὸς εὐφροσύναν τρέψαι γλυκεῖαν ἦτορ, δεξαμένῳ στεφανοὺς — τὰ δὲ κοίλᾳ λέοντος ἐν νάπᾳ κάρυξε Θήβαν — κρατέων.*

n. 11, 44 μεγαλανορίαις ἐμβαίνομεν, ἔργα τε πολλὰ μενοινῶντες· — δέδεται γὰρ ἀναιδεῖ ἐπίδι γυῖα· — προμαθείας δ' ἀπόκειντται ῥοαί.
frgm. 84, 3 πλεῖστα μὲν δῶρ' ἀθανάτοις παρέχοντες, ἕσπετο δ' ἀενάου πλούτου νέφος. ol. 7, 81 ἐστεφανώσατο — εὐτυχέων. ol. 1, 14 δρέπων μὲν — ἀγλαΐζεται δὲ καὶ. cf. n. 1, 61. i. 2, 38 νομίζων — προςέπτυκτο sq.

Vario modo constructa sunt participia: p. 3, 51 ἀχέων ἔξαγεν τοὺς μὲν μαλακαῖς ἀοιδαῖς ἀμφέπων, τοὺς δὲ προςανέα πίνοντας, ἢ γυίοις περάπτων φάρμακα, τοὺς δὲ τομαῖς ἔστασεν ὀρθούς. Non alienum est exemplum i. 4, 12 δύο ποιμαίνοντι ζωᾶς ἄωτον, εἴτις εὖ παθὼν λόγον ἐσλὸν ἀκούσῃ.

Interdum Pindarus versus finem sententiae e vulgari narratione transit in allocutionem hominis ejus de quo agitur: p. 11, 61 Ἰόλαον — καὶ Κάστορος βίαν, σέ τε ἄναξ Πολύδευκες. p. 4, 89 Ὦτον καὶ σέ, Ἐφιάλτα ἄναξ.

Praeclarum praeterea varietatis exemplum est i. 6, 3—12, ubi in sententiae partibus conjunctione ἤ disjunctis quinque diversae constructiones leguntur.

Etiam in particulis, quae sententias conjungunt, liberrimus est Pindarus. Nam post μέν praeter solitum δέ (quod vides ol. 13, 14. n. 11, 6 al.) pergitur etiam aliis particulis:

μέν — τέ ol. 4, 15. 5, 10. 6, 4. 88. 7, 69. 88. p. 2, 32. 5, 109. 6, 39. 11, 1? 11, 46. n. 7, 86. μέν — καί ol. 13, 50. p. 2, 58. n. 11, 11. μέν — αὖτε p. 2, 89; praeterea vides: μήτε — μηδέ i. 2, 44. τέ — ἤ ol. 1, 104 Boeckh. τέ — δέ p. 4, 80. καί — δέ ol. 8, 56. οὔτε — οὐδέ p. 8, 87 (83). οὔτε — οὔτε saepe; οὔτε semel positum p. 6, 48. 10, 29. 41.

Simpliciter opposita sunt οὐ — οὐ p. 3, 30. n. 7, 3; οὔτε — οὔτ' ὦν ol. 6, 19; οὔτ' ὦν — οὔτε ol. 6, 52. —

Etiam in singulis summa ubique cernitur dictionis varietas. Ita ὁ μέν continuatur per ὁ δέ p. 2, 65; saepe vero aliud quoddam nomen respondet ei pronomini:

ol. 2, 80 (73). n. 8, 30 τὰ μὲν — ἄλλων τε. ol. 12, 6 πόλλ' ἄνω — τὰ δ' αὖ κάτω. n. 8, 3 τὸν μὲν — ἕτερον δέ.

p. 2, 31 *τὸ μὲν — ὅτι τε.* ol. 8, 56 *καὶ Νεμέᾳ ἐρέω χάριν — τὰν δ' ἔπειτα.*

Permixtae sunt res oppositae: p. 2, 48 *τὰ ματρόθεν μὲν κάτω — τὰ δ' ὕπερθε πατρός.*

Numerus mutatur n. 7, 36 *ὁ δὲ — ἅμαρτεν, ἵκοντο δέ.* cf. §. 2, 3.

Promiscue ponuntur casus nudi et praepositiones cum casibus conjunctae: p. 2, 59 *κτεάτεσσί τε καὶ περὶ τιμᾷ.* p. 1, 22. ol. 2, 68 (61) *νύκτεσσιν — ἐν ἁμέραις.* p. 1, 37 *στεφάνοισι — καὶ σὺν εὐφώνοις θαλίαις.* ol. 13, 98 *Ἰσθμοῖ — τά τ' ἐν Νεμέᾳ.* ol. 7, 12 *θαμὰ μὲν φόρμιγγι — παμφώνοισί τ' ἐν ἔντεσιν αὐλῶν.* ol. 9, 86 *ἐν Κορίνθῳ — Νεμέας κατὰ κόλπον — Ἄργει δέ.* (cf. §. 6, 12. 13); sive diversae similis significationis praepositiones, ut n. 5, 2 *ἐπὶ πάσας ὁλκάδος ἔν τ' ἀκάτῳ.* 7: *ἐκ Κρόνου φυτευθέντας καὶ ἀπὸ Νηρηΐδων.* ol. 6, 10 *οὔτε παρ' ἀνδράσιν — οὔτ' ἐν ναυσὶ κοίλαις.*

Interdum in altera sententiae parte positum est participium, in altera alio quodam modo oratio continuata: i. 1, 50 *ἀμφ' ἀέθλων — ἢ πολεμίζων.* i. 1, 14 *τὸ μὲν ἅρματι γέρας — ἀνία τε νωμάσαντα.* i. 7, 36 *ἢ Διῒ μισγομέναν — ἢ Διὸς παρ' ἀδελφεοῖσιν.* ol. 8, 67 *τύχᾳ μὲν δαίμονος — ἀνορέας δ' οὐκ ἀμπλακών.* i. 4, 36 *ἑσπόμενοι Ἡρακλῆϊ — καὶ σὺν Ἀτρείδαις.*

Similiter promiscue ponuntur accusativus respectivus et dativus (§. 6, 2), imperativus et optativus (ol. 2, 98 (89). 100 (91). 9, 12. 15. 13, 25. 26. al.), imperativus et infinitivus (p. 5, 26?), aoristus gnomicus et praesens (§. 10, 5), futurum et aoristus gnomicus (n. 11, 13), vel omnino alio modo varia fit structura: ol. 9, 68 *ἀφίκοντο ξένοι ἐκ τ' Ἄργεος ἔκ τε Θηβᾶν — οἱ δ' Ἀρκάδες, οἱ δὲ καὶ Πισᾶται.* — n. 8, 2. — n. 5, 52 *πύκταν — καὶ παγκρατίου νικῶντ' ἀρετάν.* — ol. 6, 17 *μάντιν τ' ἀγαθὸν καὶ δουρὶ μάρνασθαι.*

Similia exempla innumerabilia exstant in Pindari carminibus.

3. Praeterea commemorandum videtur, Pindarum, gravissimum sane et uberrimum in rebus narrandis (cf. Godofredum pag. 58. §. 4: de copia orationis) admodum parcum esse in iis orationis particulis, quae ad conjungendas et sententias

et voces adhibeantur, ut vocabula quasi saxa nulla ligata materie suo ipsorum pondere contineri videantur. [1])

a) Ita, ut a singulis ordiamur, casus cum substantivis sicut cum verbis interdum conjunguntur; cujus usus — praeter exempla ea quae §. 6, 2 attuli — memoranda videntur exempla dativi instrumentalis: i. 2, 13 *Ἰσθμίαν ἵπποισι νίκαν.* i. 3, 16 *δόξαν παλαιὰν ἅρμασιν.* ol. 5, 7 *ἁμίλλαις ἵπποις ἡμιόνοις τε μοναμπυκίᾳ τε.*

Etiam audentiora videntur exempla p. 1, 41 *ἐκ θεῶν γὰρ μαχαναὶ πᾶσαι βροτέαις ἀρεταῖς*, eadem constructione ac si dictum esset: *πάντα ἃ μαχανᾶται βροτέαις ἀρεταῖς;* et in eodem carmine p. 1, 95 *τὸν δὲ ταύρῳ χαλκέῳ καυτῆρα Φάλαριν* = *ὃς ἔκαυσε ταύρῳ χαλκέῳ;*

dativi localis: p. 7, 13 *πέντε Ἰσθμοῖ νῖκαι.* cf. p. 8, 37. n. 4, 73—75. ol. 9, 2 *μέλος φωνᾶεν Ὀλυμπίᾳ.* ol. 5, 2 *ὑψηλᾶν ἀρετᾶν τῶν Ὀλυμπίᾳ.* — ol. 8, 83 *λιπαρὸν κόσμον Ὀλυμπίᾳ* = *honorem Olympiae paratum.* [2])

Adverbia similesque locutiones articulo praefixo tanquam adjectiva cum nominibus conjuncta vide §. 8, 4; audacius etiam sine articulo talia cum nominibus conjuncta sunt: p. 11, 50

---

1) Pierson Mus. Rhen. XI, 379: P. kann nur bedeutungsvolle Wörter brauchen, daher lässt er die Theile der Rede, welche von geringerer Wirkung sind, entweder möglichst unbenutzt, oder er gibt ihnen durch Stellung oder Metrum mehr Kraft und Energie. — Etiam altera Piersoni observatio satis multis exemplis probari potest; ita saepe praedicatum cum substantivo conjungitur non verbo substantivo, sed aliis gravioris significationis verbis, velut *καλεῖσθαι* ol. 7, 76. p. 3, 67. frgm. 98, 5. *κρέμασθαι* i. 7, 16. ol. 6, 74. *ἔρχεσθαι* ol. 1, 100. cf. etim §. 5, 6.

Deinde dixit Pindarus *ἀρετᾷ κεκραμένον* p. 5, 2 = *σὺν ἀρετᾷ;* n. 1, 56 *θάμβει μιχθείς* = *σὺν θάμβει.* n. 4, 84 *βασιλεῦσιν ἰσοδαίμονα φῶτα* pro simplici: *ἴσον.* ol. 7, 90 *ὕβριος ἐχθρὰν ὁδὸν εὐθυπορεῖ* = *ἄνευ ὕβριος* etc.

Repetitione auget Pindarus gravitatem verborum haud raro: p. 1, 29 *εἴη, Ζεῦ, τὶν εἴη ἁνδάνειν.* i. 5, 44 *νῦν σε, νῦν λίσσομαι.* frgm. 45, 15 *τότε.* 16. 17 *ἀχεῖται;* quibus adnumerandum videtur contra Dissenum n. 6, 1 *ἓν ἀνδρῶν ἓν θεῶν γένος.* Praepositio repetita *ἀπό* p. 4, 290. Articulus *τάν* n. 8, 51.

2) Nonnullis vero locis allatis a Friesio p. 51. 60 non necessario conjungendi sunt dativi cum nominum casibus.

θεόθεν ἐραίμαν καλῶν = *pulcra divinitus data*. p. 5, 73 *γαρύειν ἀπὸ Σπάρτης κλέος*, ubi Atticus scriptor dicturus fuisset *τὸ ἀπὸ Σπ. κλέος*. p. 1, 77 *ἐρέω πρὸ Κιθαιρῶνος μάχαν*. — ol. 3, 77 *ἀγῶνα ἀνδρῶν ἀρετᾶς πέρι*. i. 4, 54 (47) *ἐν δ' ἐρατεινῷ μέλιτι χάρμα* = *gaudium, quod dulci melle tinctum est*.

Accusativi cum nomine conjuncti exempla vide §. 4, 3. —

b) Liberrime Pindarus utitur etiam appositione substantivorum; saepe substantiva substantivis tanquam attributa apponuntur: p. 3, 7 *ἥρωα ἀλκτῆρα νούσων*. p. 1, 95 *καυτῆρα Φάλαριν*. n. 1, 16 *πολέμου μναστῆρα λαόν*. i. 2, 5 *Ἀφροδίτας μναστεῖραν ἁδίσταν ὀπώραν*. n. 4, 86 *γλῶσσαν κελαδῆτιν*. p. 1, 53 *υἱὸν τοξόταν*. i. 6, 31 *μαχατὰν Μελέαγρον*. n. 9, 37 *θυμὸν αἰχματάν*. p. 4, 52 *φῶτα πεδίων δεσπόταν*. n. 4, 42 *πότμος ἄναξ*. i. 7, 33 *γόνον ἄνακτα*. p. 3, 94 *παῖδας βασιλῆας*. p. 11, 33 *μάντιν κόραν*. ol. 7, 4 *νεανίᾳ γαμβρῷ*. frgm. 167 *τροχὸν μέλος*; apponitur etiam pronomini, quod verbo inest, substantivum: p. 10, 28 *βρότειον γένος ἁπτόμεσθα*. n. 3, 73 *ἔχομεν βρότεον γένος*. ol. 1, 17 *παίζομεν ἄνδρες*. ol. 5, 19 *ἱκέτας ἔρχομαι*. ol. 13, 97 (93) *ἔβαν ἐπίκουρος*, al.; singulare nomen apponitur plurali (§. 2, 3. 4); neutrum personali (§. 1, 1), ubi verba poetae magis ingenio quam grammaticae formae parere videntur; de substantivis toti sententiae appositis vide §. 4, 4; de nominativis qui prorsus soluta constructione post alios casus positi orationem continuant §. 3, 1.

c) Verbum substantivum saepissime omittitur a Pindaro, praesertim ubi generales sententias sive praecepta vitae tradit: p. 9, 76—78 *ἀρεταὶ δ' αἰεὶ μεγάλαι πολύμυθοι· βαιὰ δ' ἐν μακροῖσι ποικίλλειν — ἀκοὰ σοφοῖς*. cf. ol. 4, 18. 25. 6, 9. 7, 10. 8, 59—61. 13, 13. p. 2, 72. 4, 247. 291. 7, 1. 8, 13. 9, 87. 11, 28. al.

Adjectivum verbale sine *ἐστί* positum est p. 12, 30 *τὸ δὲ μόρσιμον οὐ παρφυκτόν*. n. 4, 69 *οὐ περατόν*. n. 8, 44 *οὐ δυνατόν*. ol. 2, 6 *γεγωνητέον*; et in interrogatione obliqua: p. 4, 164 *εἴ μεταλλατόν τι*.

Eodem modo verbum substantivum omissum est in exclamationibus: ol. 4, 24 *οὗτος ἐγὼ ταχυτᾶτι*. ol. 1, 28 *ἦ θαυ-*

ματὰ πολλά; et in praeclaro exemplo n. 8, 95 ἐπάμεροι· τί δέ τις; τί δ' οὔ τις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος.

Neque raro id factum est in sententiis conditionalibus: p. 12, 28 εἴ τις ὄλβος ἐν ἀνθρώποισιν. p. 9, 93. ol. 14, 7. p. 3, 2 εἰ χρεών. p. 3, 86. Quibus locis cum Mommseno (Pindaros pag. 80) adnumerare velim etiam alios nonnullos, ubi participium post εἰ positum est, omisso ἐστί (quod positum est cum participio n. 9, 32. n. 10, 18): n. 7, 11 εἰ δὲ τύχᾳ τις ἔρδων *si quis cum felicitate agit aliquid* (cum schol.). — ol. 2, 62 (56) εἰ δέ νιν ἔχων τις, οἶδεν τὸ μέλλον.

d) Hoc loco memorabo etiam alium usum cum breviloquentia Pindari convenientem. Nonnunquam enim unum nomen ad duo verba pertinet, quorum alterum aut participio positum aut per conjunctiones cum altero conjunctum est. Quae structura lenior videtur, ubi utrumque verbum eundem asciscit casum: i. 3, 24 πάντας ἀνθρώπους ἐπαΐσσων ἐλαύνει. p. 8, 35 ἰχνέων γὰρ ματραδελφέους οὐ κατελέγχεις. p. 10, 70 ὑψοῦ φέροντι νόμον Θεσσαλῶν αὔξοντες. p. 2, 44 τὸν ὀνύμαξε τράφοισα Κένταυρον. p. 2, 93 φέρειν ἐλαφρῶς ἐπαυχένιον λαβόντα ζυγόν. ol. 2, 51 τυχεῖν πειρώμενον ἀγωνίας. p. 12, 22 νιν εὗροισ' — ὠνόμασε. i. 7, 50.

Audacior vero videtur is usus, ubi diversam postulant ea verba constructionem: ol. 9, 58 θυγάτρα ἀναρπάσας μίχθη (sc. αὐτῇ). p. 9, 51 ταύτᾳ πόσις ἵκεν καὶ μέλλεις ὑπὲρ πόντου ἐνεῖκαι (sc. αὐτήν).

E contrario nonnunquam unum verbum ad duo nomina vario modo pertinet (zeugma): ol. 1, 37 ἐκάλεσε τὸν εὐνομώτατον ἐς ἔρανον φίλαν τε Σίπυλον, ubi eadem structura verbo ἐκάλεσε additus est locus in quem, et finis ad quem dii arcessuntur. p. 8, 19 ἐστεφανωμένον ποίᾳ Παρνασίδι Δωρίῳ τε κώμῳ. ol. 1, 88 ἕλεν Οἰνομάου βίαν παρθένον τε σύνευνον. p. 4, 105 οὔτε ἔργον οὔτ' ἔπος εὐτραπελὸν κείνοισιν εἰπών. n. 10, 25: ἐκράτησε στρατὸν — καὶ στέφανον.

e) Saepe denique totae enuntiationes sine conjunctione (ἀσυνδέτως) apponuntur, ubi facta sola memorantur a poeta, conexus et relatio sententiarum ab auditore subintelligitur; quo pertinet pars certe exemplorum a Disseno collectorum in

excursu de asyndeto; sed a singulorum locorum distributione et distinctione, ne nimis subtilis esse videar, abstinebo. —

Parentheseos exempla sunt ol. 8, 28. p. 10, 45.. n. 11, 30. 45.

Eodem pertinet usus satis vulgatus apud Pindarum is, ut in comparationibus enumerentur tantum ea, quae in rebus variis similia videantur, nulla addita comparationis particula, ita ut aut prorsus sine conjunctione appositae sint sententiae: ol. 2, 98 *ψάμμος ἀριθμὸν περιπέφευγεν· ἐκεῖνος ὅσα χάρματ' ἄλλοις ἔθηκε, τίς ἂν φράσαι δύναιτο*; aut per conjunctiones *μέν — δέ* sive *δέ* solum singulae sententiae partes distinguantur: ol. 1, 1 *ἄριστον μὲν ὕδωρ· ὁ δὲ χρυσὸς αἰθόμενον πῦρ ἅτε διαπρέπει νυκτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου* sq. n. 4, 82 *ὁ χρυσὸς ἑψόμενος αὐγὰς ἔδειξεν ἁπάσας, ὕμνος δὲ — βασιλεῦσιν ἰσοδαίμονα τεύχει φῶτα.* ol. 10, 1—5. n. 2; 14 *Ἕκτωρ μὲν Αἴαντος ἄκουσεν· ὦ Τιμόδημε, σὲ δ' ἀλκὰ παγκρατίου τλάθυμος ἀέξει.* n. 9, 39 *λέγεται Ἕκτορι μὲν κλέος ἀνθῆσαι Σκαμάνδρου χεύμασιν ἀγχοῦ, βαθυκρημνοῖσι δ' ἀμφ' ἀκταῖς Ἑλώρου δέδορκεν παιδὶ τοῦτ' Ἀγησιδάμου φέγγος.* n. 2, 6. 10 *ὀφείλει δὲ — ἔστι δ' ἐοικός;* aut per conjunctiones *καί — καί*: p. 10, 67 *πειρῶντι καὶ χρυσὸς ἐν βασάνῳ πρέπει καὶ νόος ὀρθός.* Semel *εἰ* positum est: ol. 3, 42. [1]) Memorandus videtur etiam locus i. 5, 45 *τὸν μὲν ἄρρηκτον φυάν, ὥςπερ τόδε δέρμα με νῦν περιπλανᾶται θηρὸς ὃν πάμπρωτον — κτεῖνα*, ubi summa ingenii celeritate a re, quae comparatur, transit poeta ad factum narrandum, quod ad eam rem pertinet.

---

1) Breviter attingam alios comparandi modos (de genetivo comparativo §. 5, 8): *τόσον — τόσον* positum est n. 4, 4. 5. *ὡς εἴ τις* — sequente verbo ol. 7, 1 sq. *ὡς — ὅτε* sine verbo i. 5, 1 sq. n. 9, 16. ol. 6, 2. p. 11, 40; cum verbo n. 8, 40. *ἅτε* sine verbo = tanquam i. 5, 51 *ἅτε μάντις*. — cf. ol. 1, 2. — Interdum res ea quae cum altera comparatur simplici appositione cum ea conjungitur: p. 4, 289 *κεῖνος* (Damophilus) *Ἄτλας οὐρανῷ προςπαλαίει* *illo* (*quasi*) *Atlas*. i. 7, 9 *τόν γε Ταντάλου λίθον παρά τις ἔτρεψεν ἄμμι θεός, ἀτόλματον Ἑλλάδι μόχθον* *illud quasi Tantali saxum*, ubi minime necessaria videtur Mommseni mutatio *καὶ Τ. λίθον*; etiam magis memorabilis est comparatio denotata per genetivum ol. 6, 82 *δόξαν ἔχω — ἀκόνας λιγυρᾶς* *sententiam, quae me cotis in modum incitat ac stimulat.*

4. Cum ea, quae in antecedentibus exposui, in rebus narrandis ubertate, brevitate in iis, quae ad rerum inter se conexus ac relationes pertineant, cognatus mihi videtur vividus quidam et quasi concretus Pindaricae dictionis tenor, quo factum est, ut omnia quasi animata et plena videret personarum, omnesque relationes ad sensuum potissimum perceptionem referret; quod ex multis variisque structuris apparet.

a) Ita sensus vocabulorum praevalet prae forma grammatica, ut p. 4, 250 *Μήδειαν τ'ν Πελίαο φόνον*, et in aliis exemplis non paucis allatis §. 1 et 2.

b) Res inanimes aeque ac personae epithetis ornantur: ol. 1, 1 *μεγάνωρ πλοῦτος*. p. 5, 1 *ὁ πλοῦτος εὐρυσθενής*. i. 4, 2 *μεγασθενῆ χρυσόν*. frgm. 243 *Διὸς παῖς ὁ χρυσός* (cf. §. 8, 3. c). p. 10, 18 *ἀγάνωρ πλοῦτος*. i. 1, 43 *ἀγάνωρ κόμπος*. ol. 9, 51 *ὕδατος σθένος*. p. 2, 12 *σθ. ἵππιον*. p. 5, 34 *ἐντέων*. frgm. 74, 8 *σθένος νιφετοῦ*. ol. 4, 2 *ἀκαμαντόποδος βροντᾶς* de tonitru sine intermissione nubila percurrenti. — n. 9, 37 *θυμὸς αἰχμητής*. p. 12, 26 *δόνακες ναίοισι*. ol. 7, 54 *φαντὶ ῥήσιες*; qualia multa exempla inveniet, qui singulorum vocabulorum Pindaricam significationem acrius perquiret (cf. etiam Godofredum pag. 12. 13). —

c) Saepe etiam abstractis notionibus personarum vices tribuuntur, quo pertinent dearum nomina permulta, in quibus utrum de dea an de abstracta notione cogitandum sit non facile dicas multis locis, nec ipse fortasse diceret poeta, cui una vivax quasi figura erat in mente. Ita *χάρις* saepissime usurpatur; cf. *Πειθὼ φιλοτάτων* p. 9, 39. *Ἀσυχία* p. 8, 1. ol. 4, 16. frgm. 228. *Κόρος* ol. 13, 10. *ὕβρις* ol. 13, 10. *Εὐφροσύνα* ol. 14, 1. *Εὐνομία* ol. 9, 17. ol. 13, 6. *Δίκα, Εἰράνα* ol. 13, 7. *Τύχα* ol. 12, 7. frgm. 16. — *πάρφασις ἐχθρά* n. 8, 32. — *πρόφασις* p. 5, 28. frgm. 252. —

Eodem referendum videtur, quod abstractae notiones saepe per appositionem tribuuntur personarum nominibus, ut *ὀφθαλμός* ol. 2, 11. — p. 3, 112 *φάτις*; *γέρας*, *ἄωτος*, *φάος*, *μέλημα*, *χάρμα*, *ἔρεισμα*, alia multa, inter quae memorabo *ὅρκος* significans deum qui testis est jurandi p. 4, 167;

vel etiam rebus inanimis: i. 7, 11 *μόχϑος* apellatur *λίϑος*, p. 10, 48 *λίϑινος ϑάνατος* dicitur caput Medusae (apposita enim videntur mihi ea verba ad nomen *κάρα*. Nimis artificiose structuram explicat Friese pag. 34); etiam liberius videtur dictum de insulis errantibus p. 4, 209 *δίδυμαι γὰρ ἔσαν ζωαί*.

Neutra adjectivorum ea, quae in abstractam transire videntur notionem vide §. 1, 5, c. d.

d) Neque raro apud Pindarum tota sententia tanquam una notio mente percipitur et constructione adaptatur, sive subjecti vel objecti, sive appositionis in modum.

De infinitivo ita usurpato dixi §. 12, 4; duobus locis etiam *ὅτι* conjunctio cum integra enuntiatione se applicat ad pronomen *τὸ μέν*, quod subjecti vel objecti locum tenet: p. 2, 31 *δύο μὲν ἀμπλακίαι φερέπονοι τελέϑοντι, τὸ μὲν, ἥρως ὅτι ἐμφύλιον αἷμα ἐπέμιξε ϑνατοῖς, ὅτι τε* sq. p. 5, 15 *τὸ μὲν ὅτι βασιλεὺς ἐσσὶ μεγαλᾶν πολίων — ἔχει συγγενὴς ὀφϑαλμὸς αἰδοιότατον γέρας;* qua ejus loci interpretatione accepta (Friederichsius Pind. stud. pag. 47. et schol.) nulla opus est mutatione (Mommsenus ita videtur intelligere eum locum, ut *τὸ μέν* adverbii in modum positum sit, et sententia *ὅτε — ἐσσί* conjungenda sit cum sequenti pronomine *τοῦτο*). —

Semel participium simili modo appositum est accusativo pronominis: p. 7, 19 *τὸ δ' ἄχνυμαι, φϑόνον ἀμειβόμενον τὰ καλὰ ἔργα.*

Similiter denique cum Boeckhio et scholiasta explico locum i. 4, 64 (51) *οὐδ', ὁπόσαι δαπάναι, ἐλπίδων ἔκνιξ' ὄπιν* = *nec, quotquot sumptus (fuerunt), hoc attrivit studia;* quare non opus videtur, hoc loco cogitare de schemate Pindarico cum Mommseno (Pindaros pag. 57: *wie viel Aufwand auch den Blick auf die Zukunft getrübt haben mag);* sententia aptior videtur, si nunquam debilitata dicitur spes victoriae. Certe similem brevitatem dictionis vides p. 9, 43 *κούρας δ' ὁπόϑεν* (sc. *ἐστὶ*) *γενεὰν ἐξερωτᾷς.*

Cf. etiam pronominis relativi usum §. 8.

e) Praeterea libero modo mente suppletur notio abstracta e praecedentibus verbis n. 8, 21 *ὄψον δὲ λόγοι φϑονέροισιν·*

ἅπτεται δ' ἐσλῶν αἰεὶ, χειρόνεσσι δ' οὐκ ἐρίζει, ubi ab adjectivo *φθονεροί* facillime transit poeta ad abstractam notionem *φθόνος*, de qua quid praedicatur. — Facillime transitus fit etiam multis locis apud Pindarum a singulis rebus ad generales sententias, cf. §. 1 et §. 2.

Eadem ingenii celeritate ab alia ad aliam rem sive personam transit etiam n. 4, 1—3: *ἄριστος εὐφροσύνα πόνων κεκριμένων ἰατρός. αἱ δὲ σοφαὶ Μοισᾶν θυγατέρες ἀοιδαὶ θέλξαν νιν*, ubi *νιν* haud dubie rcferendum est ad victorem, qui in mente erat poetae quum diceret: *πόνων κεκριμένων*. ol. 9, 45 *κτησάσθαν λίθινον γόνον· Λαοὶ δ' ὀνόμασθεν*, ubi mutato subjecto dicitur de ipsa illa lapidea progenie. i. 3, 49 *ἔστιν δ' ἀφάνεια τύχας καὶ μαρναμένων, πρὶν τέλος ἄκρον ἱκέσθαι· τῶν τε γὰρ καὶ τῶν διδοῖ* (sc. *ἡ τύχη*). cf. i. 1, 40. n. 7, 36. p. 1, 48. i. 5, 45.

Cum hoc, quem in praecedentibus explicavi, vivido dictionis tenore componendae videntur nonnullae structurae, quas aut proprias esse Pindaro aut libenter certe ab eo usurpari in iis quae antecedunt quaestionis partibus notavi: dativus cum verbis tangendi conjunctus, qui jam conjunctas esse fingit res (§. 6, 7), nec minus verba miscendi et similia cum praepositionibus *ἐν*, *σύν* conjuncta, quum inesse jam videatur altera res alteri; praepositiones locales instrumentali vi praeditae (§. 6, 8); adjectiva et substantiva cum dativo saepius quam cum genetivo conjuncta (§. 5, 6. 6, 7), qua structura eorum vim excipi a rebus magis declaratur; praesentis usus in rebus futuris praedicendis, quae jam adesse dicuntur (§. 10, 1); denique, quod ad enuntiationum constructiones attinet, non fortuitum mihi videtur, in oratione obliqua et in conditionalibus periodis multo praevalere eum modum, qui res tanquam revera factas aut necessario imminentes memoret, indicativum (§. 11, 2. 4), particulae vero ejus, quae dubias et cogitatas tantummodo res quam maxime denotet, *ἄν* sive *κέν* usum angustioribus quam apud alios Graecos scriptores finibus circumscriptum esse apud Pindarum (§. 11, 1. 3. 4); vide denique participii usum §. 13, 4. —

Quibus observationibus operae pretium habebo, si aliquantulum pro viribus attulero ad id, quod summum videtur in ejusmodi quaestionibus, ut, quomodo ex ingenio fluxerint poetae orationis proprietates, magis magisque appareat.